



TM 0.123

Prestor Mahlmann  
26. II. 1996

\*



Hunc librum Musis  
suis inservientem  
iure possidet  
Theodor Mahlmann



*Mahlmann*

# RESPONSIO

ad calumnias *Ofij.*

IN QVIBVS TVM ELBIN

GENSES, TVM OMNES ALIOS, QVI

*Augustanæ Confessionis doctrinam amplectuntur,*

*non solum schismatis, sed defectionis*

*quoq; ab Ecclesia, & here-*

*seos accusat:*

IN QVA VERADO,

*ctrina de Ecclesia, eius notis, & po-*

*testate fideliter recitata est,*

PER

M. HIERONYMVM

*Mencelium Suidnicensem, Pasto-*

*rem apud S. Nicola. Islebij.*

1558.

*f. 2.*

*Archiv der S. N. Islebij.*

RESPONDENS

AD CANTUARIIENSIS

IN QVIVESTVM BIBLI

GENES IV M OMNES ALLOS QVI

negligens Confessio dei facta impetravit

confessionem suam

proprie Ecclesie et hanc

procuravit

IN OVA VERADDO

hanc hanc hanc hanc hanc

hanc hanc hanc hanc hanc

PER

M. WILHELMUS

hanc hanc hanc hanc hanc

hanc hanc hanc hanc hanc

hanc hanc hanc hanc hanc

hanc hanc hanc hanc hanc

hanc hanc hanc hanc hanc

hanc hanc hanc hanc hanc

hanc hanc hanc hanc hanc

hanc hanc hanc hanc hanc

hanc hanc hanc hanc hanc

hanc hanc hanc hanc hanc





3  
ILLVSTRIS

SIMO PRINCIPI ET DO

MINO, DOMINONICOLAORAD-  
ziulo de Musznyky, Dei gratia Duci in Olike,  
Niesziuesz, Dubniky & Bierze, Palatino Vilnen-  
si, & magni Ducatus Lithuanie summo Mar-  
schalco, & Cancellario, atq; Brze-  
stensi & s. Capitaneo, Domino  
suo clementissi-  
mo.

Gratiam & pacem per Iesum  
Christum Dominum  
nostrum.



Vòd libellum hunc,  
Illustris. Princeps,  
nomini Celsitudinis  
tuæ inscribo, duo me  
mouent, Quorum primum est,

A 2

quòd celeberrima de C. T. in  
his, & multis alijs regionibus fa-  
ma increbuit, eam non solum ue-  
ram Euangelij Iesu Christi do-  
ctrinam animo pio amplecti, sed  
illos etiam, qui propter eius con-  
fessionem istic, & in locis uicinis  
affliguntur, & pseudoepisco-  
porum tyrannide premuntur, at-  
que ex possessionibus suis exter-  
minantur, fouere, ac munificen-  
tia, & liberalitate sua clementer  
subleuare. Quod, ut non tan-  
tum sanctissimæ uirtutis officium  
est, atque summæ laudationis ma-  
teriam præbet, sic & amplissi-  
mæ remunerationis diuinæ ex-  
empla, & promissiones in scri-  
pturis sacris habet. De Abdia in  
libris Regum legimus: cum tem-  
pori

poiribus impij Achabi Prophe-  
tas Domini cōtra furores Isebel  
protexisset, & eos in speluncis ab-  
ditos aluisset, quòd talis eius pie-  
tas summè commendatur, & ipse  
præter cætera cōmoda, quæ hinc  
consequutus est, etiam perpetuæ  
laudis memoriam obtinuit. De  
uidua autē Sareptana, quæ Heli-  
am profugum suscepit, & famis  
tempore aluit, ibidem quoq; re-  
fertur, quòd ea tū spiritualibus,  
tum corporalibus bonis, ppter  
exhibitam prophetæ beneficen-  
tiam, aucta sit. Nam ad ueri Dei  
cognitionem ex prædicatione ei-  
us peruenit, & difficilimo tempo-  
re cum filio (benedicente Domi-  
no, et augente farinam et oleum)  
nutrita est. ac postea cum filius

A iij

eius moreretur, eundem à propheta resuscitari, & sibi uiuū reddi uidit. Simili modo Abdemelech sua erga Hieremiā prophetā exhibita pietas remuneratur. Seruatur enim ab hostium uolentia unā cum propheta, cum Rex Sedechias captus excæcatur, atque ingens multitudo in ipsis uictoriæ tumultibus trucidaretur. Ac conueniunt cum his, & multis similibus exēplis Christi dicta idem promittētia. Mat. 10. dicit: Qui recipit uos, me recipit, & qui me recipit, eum recipit, qui misit me. Quæ autē maior huic officio commendatio addi potest, quàm quòd recipientes discipulos, & afflictā Christi membra, etiam Christum ipsum  
cum

cum patre cœlesti recipiunt? & quòd hæc, quæ talibus præstantur, sibi præstita esse alibi dicit Dominus? Sed subiicit etiam de recompensatione. Qui prophetam (inquit) recipit in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet, & qui recipit iustum, in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. & quicumque potum dederit uni ex minimis calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli, amen dico uobis, non perdet mercedem suam. Cũ uero talibus & exemplis, & dictis tuæ etiam Celsitudinis pietas cõueniat, & per eadẽ comprobet, merito illa à multis prædicatur, & nobis hinc spes minimè dubia accedit, hæc officia, quæ ad cõsolãdos,

& erigendos fratres afflictos suscepta sunt, C. T. placitura esse. Porro, alterum cur C. T. hūc libellum inscribendum esse duxerim illud est, ut ille sub C. T. nomine & autoritate etiam in aliorum manus perueniat. Eosdē .n. aduersarios, sine dubio, habebit, quos p̄ij, & afflicti fratres, propter quos conscriptus est, sustinere coguntur. Horum autem conatus C. T. autoritatē infringere, & scripto huic aditum aliquem patefacere posse confido. Tria uero mihi in scribendo hoc libello potissimum proposita fuerunt. Primum, ut miseros fratres sub Osij, & aliorum pseudoepiscopore tyrannide uiuentes, & propter ueritatis cōfessionem  
peri

periculo subiectos, in eo confir-  
marem, ut scirent hanc ipsam do-  
ctrinam, propter quam ista susti-  
nent, esse ueram Christi, prophe-  
tarum, & Apostolorum doctri-  
nã, et genuinum Ecclesiæ Chri-  
sti Catholicæ consensum, à quo  
nulli hominum, propter ullum  
quantumuis magnum periculũ  
recedendum est. Et hoc fine con-  
gessi testimonia, ex prophetarũ  
et Apostolorum scriptis, quibus  
nostrarum Ecclesiarum doctri-  
na confirmatur, ut uideant om-  
nes, eam non humanis opinionibus,  
sed testimonijs firmissimis  
niti. Secundum, quod spectauit,  
est, ut ob oculos ponerem non  
paruos, aut nullius momenti er-  
rores esse, de quibus inter nos, &

pontificios concertatio est. Multis persuasum est, de uno atq; altero articulo disceptari, & si concedantur coniugium sacerdotū, & integer coenæ Domini usus, reliqua tolerari posse. Horum opinionem ut falsam esse docerem, per præcipua aliquot doctrinæ capita, gravissimos, & multos errores, cum uera & catholica doctrina, & manifesto uerbo Dei pugnantes, breuissimè annotaui, ut statuam omnes necessariū esse omnino hoc certamen, ipsumq; Papatum tanq; nocentissimam pestem detestandum, & deserendum esse. Tertium uero, ut ipsi Osio, qui autor est tum in Regno Poloniæ, tū in Prussia iniustissimæ persecutionis

nis



nis ostēderem, nobis hanc fratru  
calamitatem dolere, et cordi esse,  
nec illis nos uel precibus, uel ad/  
monitionibus defuturos esse. Ac  
erūt, qui, iuuante Deo, ueram do/  
ctrinam, cuius ipse hostis est, con/  
tra calumnias eius & tyrānidem  
defendēt: pugnabunt aut contra  
eum nō humanis traditionibus,  
non longa consuetudine, non de/  
cretis hominū, non deniq; confi/  
ctis monachorū fabulis, sed scri/  
pturis, & testimonijs propheta/  
rū, Chrtisti, & Apostolorū, sicut  
in hoc libello specimē quoddam  
huius rei uidebit. Talia, nisi & i/  
pse attulerit ( si tamen in certamē  
eiusmodi descendere audebit, &  
non potius in miseros Christia/  
nos occulta ui, et tyrānide sœuire

perget) nihil: eius garritus fient.  
 Cum uero in his que me spectas  
 se ostendi, nihil impietatis insit,  
 tanto facilius ea apud C. T. con-  
 tra iniquissimos aduersarios pa-  
 trocinium, et defensionem inuen-  
 tura esse omnino confido. Atque  
 ut hoc studium nostrum C. T.  
 probet, & sibi commendatū ha-  
 beat, quāta possum & debeo sub-  
 iectione rogo. Islebij 10. No-  
 uembris die. Anno 1556.

Cels. T.

addictis.

Hieronymus Mencilus.

Chri-

CHRISTI<sup>13</sup>

ANO ET PIO

Lectori S.



Parsum est apud nos  
per nescio quos, insi-  
diosos, & papistico  
gregi addictos homi-  
nes, scriptum quoddam Osiij, in  
quo commemoratur actio, insti-  
tuta inter ipsum, & Elbingenses,  
quorum ille se Episcopum, & pa-  
storem animarum uocitat, & de  
sua pro ipsis pastoralis cura, mul-  
ta satis ambiciosè iactitat. In ea  
autē narratione exponit Osius,  
quomodo Elbingenses à Rege  
suo, puritatem doctrinæ Euange-  
licæ sibi, & uerum sacramentorum

usum permitti petiuerūt. Quod ipse indignissimè fert, & ad suam cōtumeliam, qui nihil minus, scilicet, quàm Euāgelij puri cursum impedire conetur, eam petitionē susceptam fuisse, maxima cum animi affectione conqueritur. Et hinc sumpta occasione, non solū Elbingenses multa oratione, ac more planè sycophantico exagitat, sed totam illam doctrinam, quam nostrę Ecclesię amplectuntur, & profitentur petit, & pijsimos pręceptores nostros, uirulentis conuicijs proscindit, In hoc omniū maximè studēs, ut hac ratione iustissimā Elbingensium petitionē eludere, puritati doctrinę coelestis labē aspergere, eamq̃ omnibus suspectā, atq̃ odiosam redd

reddere, pulcherrimū aditū, qui  
Dei beneficio, illucescēti ueritati  
Euāgelicę in Regno Polonię pa-  
tesieri coepit, intercludere, p̄ce-  
ptoribus denicq̄ nostris odiū, &  
infamiam conciliare possit. Itaq̄  
etiā scriptū illud tātò latius euul-  
gauit, ac passim, tum in Italia, tū  
in Germania, præcipuè uero in  
Regno Polonię diffeminari, &  
per sui ordinis homines, quibus  
id commodè fieri potuit, obtru-  
di curauit. Illi ergo acerbo, &  
prorsus uenenato libello, breue  
scriptum opponendū esse iudica-  
ui. Non quidē, quòd mihi cum  
homine maledico, & de proposi-  
to, ad ueritatis prædicationē sur-  
do, contendere, aut uerbū ullum  
commutare libeat, sed quòd alio

qui consilij & facti huius idoneas, & causas omnino necessarias habeam. Quarum quidem prima hæc est, ut ipsis Elbingensibus, & multis alijs pijs hominibus in Polonia, & uicinis regionibus, in bona causa laborantibus, tyrannide Osij, ac aliorum sui similibus oppressis, doctrinæq; ueræ propagationem, atq; cursum gemitibus crebris, & uotis ardentibus à Domino expectantibus, quātum in me est, hoc, aut quocunque alio officiorum genere, profim, & in ipsa eos ueritatis confessione confirmem. Et, si forte Osius, uel alius quispiam, hoc meum pium, & Elbingensibus debitum officium ita calumniari audebit, quasi in mesem

sem (quod dici solet) alienam fal-  
cem demittā, & pro ijs, qui curæ  
meæ mandati nō sint, parū re-  
ctè sollicitus sim, ille hoc à me re-  
sponsi accipiet: Oēs inter se Chri-  
stianos, ita sibi mutua caritatis co-  
pulatione deuinctos esse, ut alter  
alteri in simili casu officiū suum  
omnino prestare debeat: & q̄ is,  
qui fratrem suū in ueritatis confes-  
sione laborare, & ab alio fraudu-  
lenter circumueniri uidet, eū sua  
uoce confirmet, & ab astucijs, &  
periculo, etiā Domini mandato  
premonere iubeatur. Ille .n. ut  
proximū sicut te ipsum diligas,  
& eidē, q̄d tibi ab eo fieri uis, pre-  
stes, precipit. Deinde, quis que-  
so sanę mētis negauerit rectum,  
et pium esse, ut illi qui presunt, &

B

in publico docendi munere uersantur, non tantū suos greges ad salutaris pabuli pascua educant, & luporum ab ijs insidias remoueant, sed idem etiam uicinis, si possint, & necesse sit, gregibus beneficium exhibeant, & ab iisdē pericula impendentia declinent. Nam quis istius pastoris pietatē reprehendit, qui fortē gregē proximū suo, in tali discrimine uersantē aspicit, quōd ille, qui ei praefectus est, non modo officio suo deest, lupum non inclamat, sed ipse lupū agit, & miseras ouiculas, fraude deceptas deglubit, & laniat, & talium ouicularū misertus, eas de infortunio suo admonet, & saeui hostis faucibus & periculu



riculo extremo eripit. Certè nec  
Apostolus ipse ( prædicens fore,  
ut ex ijs qui præsumt, aliqui lupi  
rapaces exurgant, & ut à talibus  
ceteri pastores Dñi gregibus at-  
tendāt monens, ) aliter fieri uult,  
quàm ut ab illis Episcopis, & pa-  
storibus, etiam alienas, ut uideri  
potest, greges cauere sibi iubea-  
mus, qui nō salutē ipsorū, sed per-  
ditionē quærūt. Deinde hæc al-  
tera ppositi mei ratio est, ut hoc  
qualicumq; scripto insidiosę astu-  
ti, & lupina immanitate seuientis  
Osij machinæ, quibus Euāgelio  
Iesu Christi uiam præcludere, &  
curriculū eius, in ijs locis cœptū  
impedire nititur, nō detegantur  
saltem, uerū quantū fieri poterit,  
omnino euertātur. Et sic etiā ali-

quid operę ad aperiendã aſſiſten  
ti ueritatĩ ianuam, à nobis huc cõ  
feratur. Decet enim & hĩc oēs  
pios ſummo ſtudio laborare, &  
conari ſedulò, ut pandantur por  
tæ uenienti Regi gloriæ, & multi  
plicia, quę à Sathana ipſi obĩciũ  
tur impedimenta remoueantur,  
atq; pro Domini gloria, cõtra ne  
quiſſimũ eius hoſtẽ pugna nõ de  
trectetur. Videmus quanta ſit Sa  
thanæ hoc tẽpore in ſuis admini  
ſtris uigilantia, uidemus item, q̃  
modo ille ſua habeat multis in lo  
cis poſita, & uariè munita caſtra,  
& in illis Duces, atq; antefigna  
nos ad nutũ paratos, & ſecundũ  
uoluntatẽ ſuam inſtructos, impu  
dentes, & animoſos, quales ſunt,  
hic noſter Oſius in Polonia, & lo  
cis

cis uicinis, Polus in Anglia, Canusius in Austria, Roardus in Belgico, & alij alibi. His ille quanta ui potest regnū Christi oppugnat, & nullam prorsus nocendi occasionem prætermittit. Ut n. mille artifex, & in pposito tenax est, ita etiam studio, & labore est prorsus indefesso. Si ergo hæc, quæ dixi, ita ab eo geri animaduertimus, cur non & nos nostras operas coniungeremus? cur non & ipsa suas Christi Ecclesia acies instructas, & quemadmodū eas psalmi depingunt, paratas habeat, quas sui Ducis, Domini Zebaoth auspicijs eductas, atrocissimi hostis furoribus opponere possit? Et optandum erat ut plures melius in præstanda tali ope-

ra, & diligentia, quā Ecclesie Dei  
 debent, & rectè prestare possent,  
 fidei, & officij sui memores fuis-  
 sent, quàm aliquot iā annis factū  
 esse dolemus, nō certè in tantam  
 cōfidentiam, & insolentiā multo-  
 rum animi & uoces excreuissent.  
 Porro & hoc me ad hūc Osio re-  
 spondendi laborē impulit, ut de  
 uera Ecclesie Christi doctrina te-  
 stimoniū perhiberem, quam, ut  
 antea quoq; dixi, Osius sycophā-  
 tica impudētia, et uirulentis men-  
 dacijs deformare studet. Est .n. et  
 illud oībus seriò iniunctum, ut te-  
 stimoniū ueritati perhibeāt, cū ea  
 à Sathana, & membris eius uanis  
 mdacijs oppugnatur. Et minimè  
 dubito testimoniū hoc habiturū  
 esse aliquid ponderis, cum no-  
 stræ

stræ Ecclesiæ (quarum nunc doctrinam fideliter recito) apud omnes bonos uiros, & æquos iudices habeant laudem constantiæ, in tuenda ueritate, quam diabolus uarijs artibus, insidijs, & corruptelis superioribus annis, durante hora tenebrarum, labefactare conatus est.

Ad postremum hoc mihi etiam considerandum fuit, ut famam carissimorum Præceptorum, quos Osius indignissimè lacerat, præsertim uero defunctum Lutherum, quanta possem pietatem defenderem. Decet enim discipulos præstare suis præceptoribus hanc gratitudinem, ut improbis & uanis conuiciatoribus, contumelia afficientibus

nomē eorū, respondeant, & contradicant. In primis uero me æquū est cum alijs p̄ijs & bonis uiris id facere, qui non solum puriorem doctrinam à Luthero didicimus, sed etiam bonū depositū in patria ipsius conseruare debemus, & uerū testimoniū de eius ortu & uite exitu perhibere possumus. Hęc te Christiane & pie lector de causis, quæ me ad hoc studium impulerunt monere uolui: nunc etiam paucis de ordine, quē in scripto hoc sequutus sum accipe. Etsi Osius in suo scripto nullā doctrinę partē integrè tractat, nec ordine argumēta ponit, quibus uel sua somnia stabiliat, uel nostrarum Ecclesiarū sententiam oppugnet, sed passim uenenatos

natos aculeos inserit, quibus sanam doctrinam obliquè pungit, & suę partis deliria cōfirmare uideri uult, tamen eius criminatio- nes summam in quatuor capita redigi possunt. Quorum primū est, q̄ Elbinges subinde schisma- ticos nominat, & eos cū alijs Lu- theranis ab Ecclesia catholica de- fecisse dicit. Alterum quòd non rectè flagitēt sibi permitti doctri- nam Euangelij, quòd sit impurū & erroneum. Tertiū, quòd arro- gent sibi iudiciū de doctrina, q̄d sit penes Episcopos, & decreta cō- cilioꝝ. Quartum, quòd utantur integra cœna Domini, cum id fi- at contra consuetudinem & con- stitutionem Ecclesiæ Romanæ. Cum uero harum accusationum

B 5

cōfutatio pēdeat ex declaratione  
 articuli de Ecclesia, respōsionem  
 hāc in duas partes distribuere uo-  
 luit. Et in prima, in genere usitatā  
 de Ecclesia doctrinā, quantū ad  
 præsens institutū sufficere uisum  
 est, recitauit. Idē uel ideo feci, ut  
 tanto cōmodius refutentur obie-  
 ctiones Osij. Hinc enim nerui cō-  
 futationis petendi sunt, & tu Le-  
 ctor cōmodè huc remitti potes, si  
 interdū breuitas solutionū tibi  
 non satisfaciat. Deinde etiā hac  
 de causa hunc ordinem sequutus  
 sum, ne tempus malè perdatur in  
 anibus rixis, quēadmodū Osius  
 solet conuicijs, & inani strepitu  
 uerborum inutiliter tempus con-  
 terere: sed ut rursus, Lector pie,  
 de utili aliq̄ doctrinæ loco admo-  
 nearis, cuius gratia hic labor po-



tissimū susceptus est, non ppter  
Ofium, quem indignum respon  
sione iudicaremus, nec ulla ratio  
ne sanari posse scimus. Deniqz  
uolui etiam præcipuas doctrinæ  
partes, de quibus inter nos, & Pa  
pistas controuersia est, ueluti in  
tabella ob oculos omnibus pro  
ponere, ut consideretur nō de le  
uibus, & non necessarijs, sed re  
bus omnium maximis, & grauif  
simis dimicari. Atqz hinc excitē  
tur etiā alij, quo diligentiores fi  
ant cōferendi huc suas & operas  
& studia, ut ueræ doctrinæ puri  
tas cōtra maledicētissimos impo  
stores retineri, & unanimi cōsen  
su defendi possit. Altera uero scri  
pti huius pars in cōfutatiōe breui  
præcipuarū cauillationū Ofij ab  
soluit. Et hæctenus qz de ordine.

Vnum tamen adhuc, Christiane & pie lector, te admoneo: Videbis me plerunq; in plurali numero loqui, id non ambiciose, aut temere, sed duas ob causas factum esse putabis. Primo, quod hic non meam, sed communem & veram nostrarum Ecclesiarum doctrinam recito, & concordiam cum alijs pijs doctoribus harum regionum ore loquor. Deinde quod in hoc respondendi labore uenerandorum, eorundemq; in Domino carissimorum fratrum M. Andree Theobaldi, & M. Iohannis Rhodij peculiari, & fideli opera, atq; consilio usus sum. Quibus tu lector, si quid hinc ad te utilitatis redibit, non minus, quam mihi gratus eris. Bene, & foeliciter in Domino uale.

# RESPON=

SIONIS AD CA  
lumnias Osiij etc.

PRIMA PARS,  
DE ECCLESIA.



Etus, & usitata questio est, de uera & falsa Ecclesia, & uide-  
tur multis certamen ualde diffi-  
cile, hanc questionem aptè de-  
cidere. Semper enim fuit cœtus  
aliquis, qui multitudine, potentia, prætextu iu-  
ris, successionis ordinariæ, & alijs præsi-  
dijs, que in hominum oculos incurrunt, & speciem habent,  
munitus, sibi Ecclesiæ titulum usurpauit, ac alte-  
rum illum cœtum, in quo hæc quæ dicta sunt, non  
apparēt, acerrimè insectatus, & persecutus est.

Plures sunt huius rei, & notiora exempla, quæ  
in historijs sanctorum patrum, & prophetarum  
extant, quàm ut ea recenseri necesse sit. Eius ue-  
ro temporis historiam, quæ proxima fuit natiui-



## 30      RESPONSION. I. PARS,

tati saluatoris nostri considerare, & in conspectu habere in hoc de Ecclesia certamine, non omnino fuerit inutile. Quis nescit in quanta tunc potentia, autoritate, & obseruatione fuerint illi, qui sese falso Ecclesie nomine uenditarunt? Sedebant ad gubernacula, Pontifices, Pharisei, Scribae, te seniores populi erant, adiunctam habebant multitudinem populi totam, successionem ordinariam, et ius sacerdotij omne à Moise ad se translatum esse in superbissime gloriabantur. Erat certe hic praetextus tam plausibilis, ut nemo esset, qui contra uel hiscere sine periculo posset.

Interea tamen pusillus ille grex, in quo uera de Messia doctrina uigebat, qui uera Dei Ecclesia erat, in quo numero erant, Simeon, Zacharias, Ioseph, Hanna, Elizabeth, Maria, & alij paucissimi homines, adeo contempti, & pauci erant, ut nulla inter hos, & potentem illum caetum collatio fieri potuerit. Hinc & odia illius ferre, contemptum deuorare, iniurias mussitare, uim denique omnem sustinere cogebantur.

Hic si mundi, & rationis humanae iudicio contentio illa, uter caetus pro uera Ecclesia, & populo Dei habendus, permittenda est, quis non uidet, priorem illum & splendidum caetum, paruae

¶

et contemptæ multitudinei longissimè præferendum esse?

Sic & nostro tempore, si multitudinem, magnificentiam, potentiam, prætextum iuris, & successionis, atq; alia nonnulla, quibus Papæ cætus insignis, & munitus esse uidetur, eo quo solet ab ipsius defensoribus uerborum apparatu & splendore, in medium protuleris, difficilimum erit, nõ moueri, imò uero non fascinari multorũ animos, ut à magnifica & potente illa parte potius stare, quàm miserum aliquem cætum, cruci subiectum, & potentum odijs expositum amplecti, & illos potius Ecclesiæ titulo, quàm hos, dignos iudicare uelint.

Summè igitur necessarium semper fuit, & nunc quoq; est imprimis, ut imperitioribus præscribatur, unde harum disceptationum dijudicatio, et de uera et falsa Ecclesia iudicium, & cognitio petenda sint. Ne illi, qui boni sunt, & erudiri cupiunt, ab huiusmodi laruis, & spectris, quibus, ut dixi, multorum animi & oculi capiuntur, per impostores Papisticos irretiti, uel in incerto hereant, uel etiam prorsus à uera Dei Ecclesia abducantur.

Hoc autem ut fiat, necesse est, nos sacræ scripturæ lumen, testimonia, & auctoritatem, atq;

iudicium infallibile adhibere, non sequi quod uel rationi, iudicanti contra uerbum Dei, uel obstinatorum libidini plausible uisum fuerit.

Quare ex hac nunc, amice lector, ueræ Ecclesiæ Dei descriptionem, & notas proponemus, ac tibi postea, facta doctrinarum, & signorum collatione, uter cætus, magnificus ne ille Papistarum, an contemptus, & exiguus Lutheranorum, propius ad ueram illam Christi Ecclesiam accedat, iudicium relinquemus. Vnde & criminationes illas acerbissimas Osij, & aliorum, cuius generis sint æstimare poteris.

Quanquàm autem Ecclesiæ nomen latissimè pateat, tamen nunc de ea, quæ dicitur Ecclesia Christi uisibilis in hac terra loquimur.

Hanc non ita, ut aliqui in Papatu solent, describimus, qui Ecclesiam Monarchiam externam & supremam totius orbis terrarum uocant, in qua Pontificem Romanum oporteat habere potestatem ἀνωθεν καὶ κάτωθεν, de qua nemini liceat disputare, aut iudicare, condendi articulos fidei, abolendi scripturas quas uelit, instituendi cultus, & sacrificia, item condendi leges quas uelit, dispensandi, et soluendi quibuscunq; uelit legibus, diuinis, canonicis, & civilibus, à quo Imperator, & Reges  
omnes

omnes accipiant potestatem, & ius tenendi regna, de mandato Christi, cui cum Pater omnia subiecero, intelligi oporteat, hoc ius ad Papam translatum esse. Quare necesse sit Papam esse Dominum totius orbis terrarum, omnium regnorum mundi, omnium rerum priuatarum, & publicarum, habere plenitudinem potestatis in temporalibus, & spiritualibus, habere utrunq; gladium spiritualem & temporalem, &c.

Que descriptio, ut non habet scripturæ sacræ idonea testimonia, quòd ea ueræ Ecclesiæ conueniat, imo uero, ut omnes eius partes, & membra ex diametro cum apertissimis scripturæ testimonijs pugnant, ita propriè monarchiæ alicui mundanæ apta est: propriè autem regnum illud Antichristianum, quod Papa hactenus gessit, & adhuc defendit, adumbrat, & monstrat, quod & Daniel tale futurum esse capite 11. prædixerat.

Christi autem regnum nihil uel huic Papa, uel alteri aliquo mundano regno simile habere, ex ipsius uerbis notissimum est. Regnum, inquit, meum non est de hoc mundo. Vetat item discipulos huiusmodi regna, et dominationes mundanas appetere. Matth. 20. Luc. 22. Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent, be-

34      RESPONSION. I. PARS.

nefici uocantur, uos autem non sic, &c.

Ea autem uera, & uisibilis Ecclesie in hac terra descriptio, quam sacra scriptura proponit, & confirmat, talis est, Ut uocetur Ecclesia uisibilis cœtus hominum amplectentium incorruptam Euangelij doctrinam, & rectè utentium sacramentis: in quo cœtu IESVS CHRISTVS filius Dei caput est, & efficax per ministerium Euangelij, & multos regenerat ad uitam eternam. Quamquam sunt in eo cœtu & alij multi non sancti, sed tamen de doctrina, & externa professione consentientes.

Nam eum cœtum solum, esse Dei Ecclesiam, qui Euangelion & uerbum ipsius amplectitur, hæc dicta confirmant. Iohan. 8. Qui ex Deo sunt, uerba Dei audiunt. Ioan. 10. Oues meæ uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me. Et: Alienum autem non sequuntur, sed effugiunt ab eo, quia non nouerunt uocem alienorum. Ioan. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Qui ergo uocem filij Dei non audiunt, nec sermonem ipsius seruant, illi Ecclesia esse nõ possunt, iuxta illud: Si quis uobis Euangelizauerit  
præ-



præter id, quod accepistis, anathema sit. Et: Propterea uos non auditis, quia ex Deo non estis.

Deinde & hoc certissimum est, ueram Ecclesiam usum rectum sacramentorū retinere, Baptismum, & cœnam Domini, ea ordine, quo Christus instituit, administrare. Iussit enim Dominus hoc ita fieri, Matth. ultimo. Data est mihi, inquit, omnis potestas in cælo, & in terra, Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare **OMNIA QVAECVNQVE MANDAVI VOBIS.** Et Paulus ait, se à Domino accepisse, quod Corinthijs tradidit, uerum nempe cœnæ Domini usum, non sub una, ut uocant, specie, sed sub utraq; monens hoc modo, nec se, nec ueram Christi Ecclesiam à Domini sui mandato recedere, multo minus eam aliquid in eo mutare uelle, aut debere.

Christum autem, non Papam, aut alium quemcunq; hominem caput, & fundamentum Ecclesiae dici debere, quis negabit? cum tot de ea re testimonia manifestissima extent. In Psalmo secundo inquit Dominus. Ego constitutus sum Rex ab eo, super Sion montē sanctū eius, prædicās præceptū eius. Eph. 1. Ipsum dedit caput super oēm Ecclesiā,

quæ est corpus ipsius. Et cap. 2. Superædificati estis super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio constructa, crescit in templum sanctum in Domino. 1. Cor. 3. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter hoc quod positum est, quod est Iesus Christus.

Ille ergo idem Dominus Iesus Christus, caput, et fundamentum Ecclesiæ suæ, in ea quoq; efficax est, per Euangeliij ministerium. Quamquam .n. super omnes cælos ascendit, ut adimpleret omnia, tamen & ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam aut prophetas, alios uero Euangelistas, alios autem pastores, & doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in uirum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, &c. Ephes. 4.

Porro huic uisibili & externo cœtui hypocritas admixtos esse, & donec in sacramentorum usu, uerbi auditione, & reliqua professione externa, cum ueris membris Christi consentiant, sub Ecclesiæ nomine tegi, & latere, à Domino tamen ipso cognosci, & iudicari; multis parabolis ostensum

sum est. Matth. 13. ubi parabola de zizania recitatur. Et eodem capite, de sagena capiente bonos & malos pisces. Et ca. 22. de eo qui in nuptijs erat sine ueste nuptiali. Quibus parabolis & multa dicta addi possunt. 1. Cor. 10. Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt &c. Et mox: Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo. Ergo non fuerunt uera Ecclesie membra. Ro. 9. Non omnes, qui ex circumcisione sunt Israel, hi sunt Israelitae, neq; semen sunt Abrahae omnes filij &c.

# DESIGNIS

## ET NOTIS VERAM

Ecclesiam monstrantibus.

**C**um igitur ex his constet, nos nihil in descriptione uerae & uisibilis Ecclesie Christi, ex nostro capite finxisse, & apposuisse, sed cum scripturis sacris de ea loquutos esse, sequitur ut ex iisdem notis, ubi haec Ecclesia quaerenda & inuenienda sit, subiiciamus. Et quanquam

per se facile sit, ex his quæ diximus, eas colligere, tamen quia simplicioribus quoq; seruire cupimus, & ut res magis sit in conspectu, singulas recitabimus & suo loco ponemus.

Inter notas, & signa Ecclesiæ ueræ primo loco ponitur prædicatio sincera uerbi Dei, nõ adulterata humanis opinionibus, ut statuere tecum possis, ibi uerè esse Ecclesiam, & aliqua Christi membra, ubi uox scripturæ incorrupta sonat: Idq; ex testimonijs paulò antè positis liquet, quibus hoc etiã addere licebit, Esa. 59. Hoc est fœdus meum cum eis, dicit Dominus, spiritus meus, qui in te est, & uerba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, dicit Dominus, à modo, & usq; in sempiternum.

Loquimur autem distinctè, & dicimus signum ueræ Ecclesiæ esse, non quamlibet uerbi Dei, & scripturarum allegationem, sed eam quæ natiuum & genuinum sensum retinet, & tuetur, ac cum articulis fidei in symbolis, Apostolico, Niceno, Athanasiano &c. expressis consentit.

Atq; ut hic exempla adferamus Lectori, ueram scripturarum sententiam, & consensum, de præcipuis aliquot doctrinæ capitibus, quæ hoc tẽpore in controuersiam uenerunt, recitabimus.

Scris

Scriptura ergo sacra propheta-  
rum & Apostolorum unanimi consensu docet, &  
vera Ecclesia Christi semper tenuit.

## De lege.

1. Illam requirere perfectam,  
& integram omnium uirium in  
nobis obedientiam.

Ad huius sententiae probationem sufficeret u-  
nicum hoc testimonium Christi, quod Matthæi  
22 capite extat, ex 6. Deute. capite repetitum:  
Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde  
tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.  
Hoc est maximum & primum mandatum: Se-  
cundum est simile huic: Diliges proximum tu-  
um sicut teipsum. Sed & reliqua huc addi-  
mus testimonia, quæ etiam perspicue inter-  
nam cordis, & appetituum rectitudinem re-  
quirunt. Genesis 4. Sub te erit appetitus tu-  
us, & tu dominaberis illius. Exodi 20.

40 RESPONSION. I. PARS,

Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem eius, &c. Psal. 1. Beatus uir &c. in lege Domini uoluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Audis hic uoluntatem, ac cordis meditationem requiri, idq; in lege Domini. Psal. 14. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur SINE MACULA, qui loquitur ueritatem IN CORDE SVO &c. Mat. 5. Luc. 16. Amen quippe dico uobis, donec transeat cælum & terra, iota unum, aut apex unus nõ præteribit à lege, donec omnia fiant &c. Dico autem uobis, quia nisi abundauerit iusticia uestra plus, quàm scribarum, & pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum: Phariseorum autem iusticia tantum in externa legis obseruatione constitit. Ergo plus requiritur. Vide etiam in huius rei certam confirmationem, interpretationem legis, quæ à Christo ipso adfertur Matt. 5. 6. & 7. ca. Hinc Paulus Ro. 7. Lex spiritualis est, Id est, non tantum externam corporis, sed etiam internam spiritus & mentis obedientiam exigit. 1. Timoth. 1. Finis præcepti est caritas de corde puro, & cōscientia bona, & fide non ficta.

II. Hanc perfectam, & integrā  
obedi-

obedientiam, neminem in ista naturæ nostræ corruptione posse præstare.

Deute. 5. post latam legem inquit Dominus: Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me & custodiant uniuersa mandata mea in omni tempore? Ezech. 20. Ergo ego dedi eis præcepta non bona. Id est, non facientia bonos, quia nemo est, qui seruat ea. Rom. 8. Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem etc. Ibidem: Quoniã sapientia carnis inimica est Deo: Legi. n. Dei non subiecta est, Nec enim potest. Hebræ. 7. Nihil. n. ad perfectum adduxit lex: & quãquã hoc dictũ à quibusdam ita accipiatur, quòd tantum de ceremonialibus illud intelligi uelint, tamen eius affirmatio de uniuersa lege uera est, quòd tota lex neminem unquam ad perfectionem talem adduxit, ut coram Deo irreprehensibilis fuerit. Gal. 3. Quicumq; ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Quæ est causa? Quia nemo est, qui legem implet, & ea opera quæ lex requirit præstat. Idem testantur & typi, quales sunt, Moyses cornutus, & splendens facie, & tonitrua horrenda, quæ ad tempus latæ legis audita sunt, quæ

42      RESPONSION. I. PARS,

omnia populus circumstans non potuit ferre, ut hoc modo legis natura exprimeretur, eius nimirum uocem talem esse, quæ exanimet, perterrefaciat, & prorsus hominum naturæ intolerabilis sit. Christus igitur testatur suum hoc esse officium, legem implere, illius horrendam maledictionem sustinere, & nos ab ea liberare. Hinc Matt. 5. dicitur: Nolite putare, quoniam ueni legem soluere, aut Prophetas, non ueni soluere, sed adimplere. Act. 13. Notum igitur sit uobis uiri fratres, quia per hunc (Iesum Christum) uobis remissio peccatorum annunciat, ab omnibus quibus non potuistis in lege Moysi iustificari. Gal. 3. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Accedit & probationis loco, omnium sanctorum, & nostra quoque experientia, quæ fateri singulos cogit, neminem ex lege iustum esse coram Deo, quia nemo legem eius seruat. Hinc ergo querele & exclamationes nate sunt, quæ passim in Psalmis, & sanctorum scriptis extant. Psal. 14. 2. Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Psal. 129. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Ro. 7. Scimus enim quod lex spiritalis est, ego

enim



autem carnalis sum, uenundatus sub peccato. Et: Velle adiacet mihi, perficere autem bonum nō inuenio. Et: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? &c.

### III. Datam ergo legem esse propter hos fines.

1. Principio, ut arguat peccata & omnes reos faciat. Rom. 1. Reuelatur ira Dei de caelo super omnem impietatem, &c. Per quid? Per legem nempe. Rom. 3. Per legem enim cognitio peccati. Rom. 5. Lex autem subintravit, ut abundaret delictum. 1. Cor. 15. Virtus uero peccati lex.
2. Secundo, ut coerceat disciplina non renatos, & petulantes. Gal. 3. Quid igitur lex? propter transgressionem posita est, &c. Ab hoc officio ibidem lex uocatur Carcer, custos, & pædagogus. Item Rom. 13. Magistratus constitutus esse docetur, ut exercens legem, sit terrori malo operi. Ro. 12. Iusto non est lex posita sed iniusto.
3. Tertio, ut ad Christum ducat. Gal. 3. Itaq; lex fuit pædagogus noster in Christo. Et referenda sunt huc dicta, quæ de corde contrito, & humiliato loquuntur, Psal. 50. Tale enim cor desiderat & requirit Christū, ut ab eo consolationem accipiat, quā aliq; nusquam inuenire potest.

Tales quoq; uocat Dominus Matth. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, ego reficiam uos. Vnde autem talis contritio existet, nisi lex conscientiam accusans, eam cooperante spiritu Sancto ad talem dolorem, quæ pœnitentiam salutarem operetur, impellat.

4. Quarto, ut doceat pius, quæ opera placeant Deo, nempe ea, quæ in lege præcepta sunt. In illis .n. iubet nos Dominus ambulare. Deut. 4. et 12. Nō addetis ad uerbum, quod uobis loquor, nec aufere-  
tis ex eo. Custodite mandata Domini Dei uestri, quæ ego præcipio uobis. Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, nec addas quicquā nec minus. Ioan. 14. Mea mandata seruabitis &c. Ea autem quæ homines excogitant, abominatur, & dicit se frustra coli mandatis hominum. Esa. 29. Matth. 15. Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me, sine causa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.

## De libero arbitrio.

I. Homines sine gratia aliquo modo

modo, posse externam legis disciplinam prestare.

Matth. 5. Nisi abundauerit iusticia uestra etc. Ergo Pharisei habent aliquam legis iusticiam, sed non illā abundantem, quam requirit hoc loco Dominus. Luc. 18. Phariseus iactat de sua iusticia. Ergo habuit aliquam externam iusticiam, de qua gloriari potuit præ publicano. Rom. 9. Israël secundo legē iusticiæ, in legem iusticiæ non peruenit, id est, Israël præstitit quidem externā legis disciplinam, sed per eam non fuit iustus coram Deo. Rom. 1. testatur Apostolus clarè, gentes naturaliter intelligere, & facere legem, sed non perfectè nec ad iusticiam coram Deo. Idem testantur dicta à contrario sumpta, quæ docent propter illam externam obedientiam non præstitam iniungi pœnas. Osee. 13. Perditio tua ex te Israel. Hier. 2. Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te. Et multa alia his similia.

II. Sed in actionibus spiritualibus, & rebus ad salutem pertinentibus, ante gratiā, & sine gratia, nihil recte agere posse homines.

46      RESPONSION. I. PARS,

*Psal. 48. Et homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Quid aut iumentū in rebus spiritualibus rectè ageret? 1. Cor. 2. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei: stulticia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Ioan. 6. Nemo potest uenire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum: Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere. 2. Cor. 3. Non quòd sufficientes simus, cogitare aliquid à nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Phil. 2. Deus est enim qui operatur in nobis & uelle & perficere pro bona uoluntate. Rom. 7. Apostolus conqueritur de se ipso: Scio, inquit, quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum &c.*

**III.** *Accedente gratia, & auxilio spiritus sancti, iustificatos inchoare nouam obedientiam, sed manere ingentem imbecillitatem, & perpetuam carnis luctam aduersus spiritum.*

*Huc pertinent pleraq; testimonia quæ proxime adduximus. Illa enim ut nostris uiribus adiungunt facere, quæ Deo placent, ita Deo tribuunt, si quid*

si quid agimus, quod bonum est. Sed præter illa etiam quæ sequuntur considerentur. Rom: 8. Qui spiritu Dei ducuntur hi filij Dei sunt. Ro. 5. Quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Ioan. 8. Si filius nos liberauerit, uerè liberi eritis. 1. Cor. 4. Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis. Eadem sententia Rom. 11. extat. 1. Cor: 2. Spiritus autem iudicat omnia, & ipse iudicatur à nemine. Iacob. ca. 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio. Ex his quæ diximus, patet, posse aliquid, Deo iuuantem nos per spiritum sanctum, & gratiam suam, homines, sed hæc nõ perfecta esse in hac uita, nihil dubij est. 1. Cor. 4. Nihil mihi conscius sum, sed nõ in hoc iustificatus sum. Qui autem iudicat me, Dominus est. Gal. 5. Caro cõcupiscit aduersus spiritum etc. Ergo manet in hoie renato imbecillitas & lucta.

## De Peccato.

I. Oēs hoies post lapsum primoræ

parentum, qui nascuntur ex commistione maris & foemine, esse peccatores, & nascentes secum adferre peccatum originis.

Gen. 6. Videns autem Deus, quod multa malicia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum OMNI TEMPORE. Et ca. 8. Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Psal. 50. Quoniam in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Psal. 13. Non est qui faciat bonum, usq; ad unum. Et. Omnes declinauerunt, & inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est, usq; ad unum. Psal. 115. Omnis homo mendax. Marc. 10. Nemo bonus, nisi solus Deus. Matth. 12. Progenies uiperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur, Ioan. 3. Quod natum est ex carne, caro est. Et ca. 6. Spiritus est, qui uiuificat, caro non prodest quidquam. Rom. 5. Propterea, sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors. Eph. 2. Et eramus NATURA filij irae, sicut & ceteri. 1. Ioan. 1. Si dixerimus, quo

quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & ueritas in nobis non est.

II. Peccatum illud originis esse destructionem iusticiæ originalis, & imaginis diuinæ, ad quã homo conditus fuit.

Hanc sententiam quædam ex proximè citatis testimonijs confirmant, ut illud ex Psal. 13. Ioan. 3. Rom. 5. Sed præter illa, hæc sunt maximè illustria. Psal. 48. Homo cum in honore esset, scilicet, in quo conditus erat ad imaginem Dei, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Id est, recedens ab obedientia debita conditori, amisit suam dignitatem priorem, & sic iumento similis factus est. Esa. 64. Et facti sumus ut immundi omnes nos. Eph. 4. dicit Apostolus deponendum esse ueterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris, ut renouemur spiritu mentis, & induamus nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iusticia, & sanctitate ueritatis. Constat ergo omnes homines carere illa prima iusticia & sanctitate. Eadem sententia repetita est ad Coloss. 3. ca.

D

III. Ex illa autem destructione  
sequutam esse,

1. Caliginem in mente, & ignorantiam de Deo. Psal. 48. Iumentis insipientibus comparatus est, scilicet, ignorantibus Deum. Psal. 13. Dixit insipiens in corde suo nō est Deus. Eph. 2. dicit Apostolus gentes aliquando fuisse sine Deo, Itē sine Christo, Idest, Deū & Christū eius ignorasse, quod solet omnibus hominibus naturaliter accidere. Deū enim nemo uidit unq̄, filius autē q̄ est in sinu patris, ipse enarrauit nobis, Idest, se, & patrem suū nobis manifestauit. Ioan. 1. Mundus eum nō cognouit. Esa. 1. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui, Israël autē me non cognouit.
2. Aersionem uoluntatis ab ipso Deo. Esa. 9. In omnibus his non est auersus furor eius sed adhuc manus eius extenta, & populus nō est reuersus ad percutientē se, & Dominū exercitū non inquisiuerūt. Et ca. 65. Expandi manus meas tota die ad populū incredulū, q̄ graditur in uia nō bona post cogitationes suas. Prou. 1. Quia uocaui, & renuistis, extendi manū meam, & nō fuit qui aspiceret, despexistis omne consiliū meum, & increpationes meas neglexistis. Ierem. 7. Vocauī uos & non respondistis. Matth. 23. Quoties uolui congregare fi-

re fi-



re filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos, sub alas suas, & noluit. Eandem auersionem à Deo, & uerbo eius ostendit Dominus Luc. 14. per parabolam de inuitatis ad nuptias, qui uenire recusant.

3. Contumaciam cordis, & cæterarum uirium. Psal. 94. Quadraginta annis offensus fui generationi huic, & dixi semper, hi errant corde. Psal. 50. Cor mundū crea in me Deus. Ergo cor est immundū, & à Deo alienū. Huc pertinet testimonia superius citata ex Gen. ca. 6. & 8. & multa alia, quæ de cordis cõtumacia loquuntur. ut Esa. 9. et Ezech. 44. dicitur de incircumcisis corde. Esa. 46. Baruch 2. Ezech. 2. dicitur de ijs q̄ sunt duro corde.

III. Illam autem destructionem, & malam concupiscentiã, uerè esse peccatum damnans, & reum morte æterna.

Hoc inde constat, quòd Exod. 20. prohibetur concupiscentia, cum dicitur in præceptis Decalogi, Non concupisces. Quod & Paulus Ro. 7. interpretatur de praua illa inclinatione ad malum, quæ ex destructiõe originali omnibus adheret. Et sequitur in ipsis decalogi cõminatiõibus, q̄ illi sint

maledicti, qui praecepta non impleuerint. Hinc Deute. 27. extat: Maledictus, qui non permanet in sermonibus legis, nec eos opere perficit: Paulus autem addit, qui non permanserit in omnibus etc. maledictus erit: Et Psal. 13. affirmat propterea omnes esse abominabiles, quia omnes inutiles facti sunt. Rom. 5. docet Apostolus propter unius delictum, mortem intrasse super omnes, Et Rom. 7. ait se circumgestare corpus mortis. Certum est igitur illam ipsam destructionem in nobis, per se peccatū & morte dignam esse

V. Etsi autem in baptismo, & credentibus reatus ille remittitur: manere tamen morbum ipsum, qui sua natura malus est, atq; gignere subinde cogitationes, & actiones contrarias legi Dei, puniendas morte aeterna in incredulis & indulgentibus.

Hanc doctrinam confirmant, querele sanctorum, & piorum hominum, qui de sua immundicie conqueruntur, & petunt sibi remitti iniquitates suas, ac ne in iudicium à Domino pertrahantur, orant.

orant. Qualis est illa Pauli uox, Rom. 7. Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Item Galat. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum. Item illa Davidis, Domine non intres in iudicium cum seruo tuo: Item Psal. 51. Amplius laua me, & similes multae. Sic & illud dubium non est, incredulos, & consentientes illis carnis suae desiderijs, aeterna morte puniri, & ad regnū Dei non admitti. Rom. 3. Si secundum carnem uixeris moriemini. 1. Cor. 15. Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt.

## De Pœnitētia.

I. Illam tribus partibus constare, contritione, fide, & obedientia noua. Et multa esse dicta, quae de singulis partibus loquuntur.

De contritione quidem hæc.

Ioel. 2. Conuertimini ad me in toto corde uestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu, & scindite corda uestra, & non uestimenta uestra. Esa. 38. Rex Ezechias de contritione, & doloribus suis

54      RESPONSION. I. PARS,

*is, inquit, Quasi leo contriuit omnia ossa mea, de mane usq; ad uesperum finies me, sicut pullus hiru-  
rundinis clamabo, meditabor ut columba &c. Ca.  
66. Ad quem respiciã (dicit Dominus) nisi ad pau-  
perculum & contritum spiritu, & tementem ser-  
mones meos. Psal. 51. Sacrificium Deo spiritus con-  
tribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus  
non despicias. Psal. 17. Circumdederunt me dolo-  
res mortis, & torrentes iniquitatis conturbaue-  
runt me, Dolores inferni circumdederũt me, præ-  
occupauerunt me laquei mortis. Psal. 30. Misere-  
re mei Domine, quoniã tribulor, cõturbatus est in  
ira oculus meus, aĩa mea, et uenter meus. Quoniã  
defecit in dolore uita mea, et anni mei in gemitibus.*

II. Talem autem contritionẽ,  
& dolores quos dicta recitata, &  
alia quàm plurima describunt,  
doctrina legis per spiritum san-  
ctum excitari.

*Apostolus enim ait: Per legẽ esse peccati agnitio-  
nem. Item, Se aliquando uixisse sine lege, sed per  
legem peccatum tandem reuixisse & se mortuũ  
esse. Et 2. Cor. 7. ca. dicit, tristitiam quæ est secun-  
dum Deum, id est, quã Deus per spiritũ suũ in no-  
bis*

bis excitat, operari pœnitentiã in salutē stabilem.

III. De fide, quam accedere oportet, ne dolores illi, nos ad desperationem adigant, loquuntur hæc dicta.

Abacuc: 2. Iustus fide sua uiuet. Item, Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit. Ioan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam eternam, Roman. 3. Iusticia Dei per fidem Iesu Christi, in omnes & super omnes, qui credunt in eum. Hebræ. 11. Sine fide impossibile est Deo placere. Credere enim oportet accedentem ad Deum. Et maximè illustre testimonium de hac re extat, quod oporteat accedere fidem ad dolores in animo anxio excitatos, Actor, 16. de custode carceris interrogante, quid sibi esset faciendum ut saluus fieret? Respondent ibi Paulus & Silas: Crede in Dominum Iesum, & saluus eris tu, & domus tua. Neque aliter nobis possunt prodesse multiplices illæ promissiones de gratia & misericordia Dei, quàm ut eas fide

*apprehendamus, ac nobis applicemus, & ita ex doloribus eluctemur, ne cum Cain, Saule, Iuda & alijs desperemus.*

III. Sed ex fide illa apprehendente misericordiam in Christo promissam, quæ nobis imputatur ad iusticiam, necessario sequi obedientiam nouam, & fructus dignos pœnitentia.

*Hinc Psalmo primo Christianus & Beatus uir assimilatur arbori, plantatæ secus decursus aquarum, ferente fructus suos in tempore oportuno. Et Christus sæpissime, hac de arbore bona, fructus bonos faciente, parabola usus est, ut doceret, oportere Christianum, & hominem fide iustum, non esse sine bonis operibus. Ex hoc fonte Apostolus ait, nos debitores esse, Rom. 8. ut scilicet secundum spiritum ambulemus, & bene operemur. Idem dicit Iohannes: Videte, inquit, ut fructus dignos pœnitentia faciatis. Item Eph. 2. dicit Apostolus: Ipsius factura sumus, creati in Christo Iesu, in operibus bonis, quæ preparauit Deus, ut in illis ambulemus. Et extant talia multa testimonia, quæ iam congerere superuacaneum esset.*

DE

# De Euangelio.

I. Esse Euangelion prædicationem poenitentiae, & remissionis peccatorum in nomine IESU Christi.

*Hæc definitio Euangelij sumpta est ex ipsius Christi uerbis, qui Luca ultimo sic inquit: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius poenitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolyma. Nam Marci ultimo dixerat Dominus, Euntes in mundum uniuersum, prædicate Euangelion &c. Hoc autem quid sit, in Luca exponit, uerbis modo positis. Plures autem huiusmodi conciones Euangelicæ extant, quàm ut eas hic omnes recitare necesse sit, & adijciemus nonnullas infra.*

II. Distinctas esse doctrinas Legem & Euangelion, & nullo modo confundendas.

D S

In monstrando hoc discrimine tota epistola Pauli ad Romanos uersatur. Et alij Apostoli singulari consilio suæ doctrine de beneficijs Filij Dei, tribuerunt nouam, & dulcissimam appellationem Euangelij, ut illustrius esset discrimen legis & promissionis de reconciliatione. Imo hoc discrimen præcipuum fundamentum est totius doctrine de salute nostra, quo sublato, nulla firma consolatio conscientijs monstrari potest de reconciliatione. Hoc certè patet ex utriusq; doctrinæ finibus & causis. Et Iohannis primo Euangelista has doctrinas ita discernit. De plenitudine eius, inquit, nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Quia lex per Moïsen data est, gratia & ueritas per IESVM CHRISTVM facta est. Legis autem finis est in hac corrupta natura peccatum reuelare, augere, iram operari, & condemnare. Hoc liquet ex testimonijs multis. Ro. ca. 3. ca. 4. ca. 7. Galat. ca 3. Deut. 27. quorum quædam suprâ adduximus. Euangelij finis est, à desperatione retrahere, & miseris conscientijs Christum uocantem ad se peccatores ostendere, & ueras consolationes proponere. Qualis est illa 1. Tim. 1. Certus sermo est, q̄ Christus Iesus uenit peccatores sal-



res saluos facere. Item: Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum &c. & multe similes. Sunt & alia ualde illustria discrimina harum doctrinarum, quae uel à forma noticiae, uel à forma promissionum, uel ab ipsis obiectis sumi possunt.

A forma noticiae. Quia lex est naturalis, & omnibus hominibus noticiae legis innatae sunt: unde Apostolus Roma. 2. inquit, Legis opus (De gentibus loquitur) scriptum est in cordibus eorum. Euangelion uero est doctrina huic dissimilis, naturaliter ignota omnibus, nisi reueletur. De hoc loquuntur multa dicta. Ioan. 1. dicitur, Deum nemo uidit unquam. Filius qui est in sinu Patris ipse enarrauit nobis. Matthei. 11. CHRISTVS Patri gratias agit, quòd Euangelion, & sui tanquam ueri Messiae cognitionem reuelauit paruulus. Capite 16. dicit Petro, carnem & sanguinẽ nõ reuelasse illi cognitionẽ Messiae, sed patrẽ caelestẽ.

A forma promissionum discrimen legis & Euangelij infra patebit, ubi indicabimus & exemplis quoque monstrabimus, Legem requirere conditionem perfectae obedientiae, & promittere uitam eternã præstantibus integram & perfectam obedientiã, Euangelion autem promittere GRATIS propter Christũ uitam eternã credentibus.

Ab effectibus tale discrimen sumitur, Lex sine Euangelio efficit uel desperationem, uel hypocrisis. Euangelion uero erigit & consolatur mentes perterrefactas sensu iræ Dei monstratæ in lege, De quo & supra.

Deniq; differunt & in hoc Euangelion & lex, quod hæc proponenda est Epicureis, & hypocritis, quorum arrogantia legis uoce est retundenda & peccatum monstrandum est. Illud uero proponendum est agentibus pœnitentiam, & consolatione propter conscientiam perterrefactam indigentibus. Sicut Esa. 61. & Luc. 4. dicitur. Ut adnunciatur Euangelion contritis corde.

III. Euangelij promissiones esse gratuitas, Legis uero conditionales, requirentes conditionem perfectæ obedientiæ.

#### Promissiones Legis.

Exod. 20. Ego sum Dominus Deus tuus fortis zelotes, uisitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me, & faciens misericordiã in millia HIS QUI DILIGUNT ME, & custodiunt præcepta mea. Deute. 6. Custodi præcepta Domini  
Dei

Dei tui &c. ut bene sit tibi: Et paulò post. Eritq;  
 nostri misericors, Si CVSTODIERIM VS,  
 & faciemus omnia præcepta eius coram Domino  
 Deo nostro, sicut mandauit nobis. Et ca. 7. Et sci  
 es, quia Dominus Deus tuus, ipse est Deus fortis,  
 & fidelis, custodiens pactum, & misericordiam  
 diligentibus se, & his, qui custodiunt præcepta e=  
 ius in mille generationes. Matth. 19. Si uis uitam  
 ingredi serua mandata. Luc. 10. Hoc fac, & uiues.  
 Rom. 2. Non auditores legis iusti sunt apud De=  
 um, sed factores legis iustificabuntur. Rom. 4.  
 Ei qui operatur, merces non imputatur secun=  
 dum gratiam, sed secundum debitum. Gal. 3. Lex  
 non est ex fide, sed qui fecerit ea uiuet in eis.

### Promissiones Euangelij.

Genes. 3. Semen mulieris conteret caput ser=  
 pentis. Gen. 22. Benedicentur in semine tuo om=  
 nes gentes. Esa. 43. Ego sum, ego sum ipse, qui  
 deleo iniquitates tuas propter me, & peccato=  
 rum tuorum non recordabor. Reduc me in me=  
 moriam & iudicemur simul, narra si quid habes,  
 ut iustificeris. Esaie 53. In scientia sua iustifica=  
 bit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates  
 eorum ipse portabit: Esa. 55. Omnes sitientes ue=  
 nite ad aquas, & qui non habetis argentum, pro=  
 de

perate, emite, & comedite, Venite emite absq; argento, & absq; ulla cōmutatiōe, uinū & lac. Quare appenditis argentū non in panibus, & laborē uestrum nō in saturitate? Audite audientes me, & comedite bonū, & delectabitur in crassitudine anima uestra. Daniel. 9. Propter temetipsum inclina Deus meus aurē tuā, et audi, aperi oculos tuos, et uide desolationē nostrā, & ciuitatē, super quā inuocatum est nomē tuū. Neq; .n. in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciē tuam, sed in miserationibus tuis multis. Respicit hīc propheta ad promissionē de gratuita misericordia Domini, atq; ex illius promissionis fiducia orat Dominū. Huc pertinet illud Christi dictū Io. 3. Sic Deus dilexit mundū &c. Et multa Apostolorū testimonia, quæ testantur, gratis, absq; operibus, sine operibus legis, donari iusticiam, credentibus in Iesum Christū: ut ita doceāt Euāgelij promissionē grati-  
tā esse et omnē meriti nostri conditionem excludere. Vide ergo Pauli epist. ad Ro. ca. 1. Euangelion est potētia Dei &c. Ca. 3. Iustificati gratis per gratiā ipsius etc. Et: Arbitramur iustificari hoīem per fidē, sine operibus legis Ca. 4. secundū propositū gratiæ Dei etc. ca. 7. Gratia superabūdauit etc. Ad Gal. ca. 2. Scientes quōd homo non iustificatur ex  
operis

operibus legis &c. Ad Ephesios cap. 2. Gratia enim saluati estis, per fidem, et hoc non ex uobis, Dei donū est, non ex operibus, ne quis gloriatur.

# De Iustifica- TIONE.

I. Hominem suis, aut legis operibus non iustificari.

Huc pertinent testimonia pleraq;, quæ modo adduximus: Itē hæc, Ro. 4. Ei autē q nō operatur, credenti autē in eū, qui iustificat impiū, reputatur fides eius ad iusticiā. Ro. 8. Nā quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnē, Deus filiū suū mittēs, in similitudinē carnis peccati, et de peccato dānauit peccatū in carne, ut iustificatio legis impleretur in nobis. Gal. ca. 2. Propterea q, ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. Et ibidē. Si enim per legē iusticia, ergo gratis Christus mortuus est. Ca. 3. Si data esset lex quæ posset uiuificare, uerē ex lege esset iusticia. Ad Tit. 3. Cū autē benignitas, & humanitas apparuit saluatoris nostri Dei, non ex operibus iusticiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit. Idem testantur multi Psalmi, qui docent,

64 RESPONSION. I. PARS,

neminem esse coram Deo iustum, sed oportere omnes culpam deprecari, & ut remittantur, ac condonentur iniquitates petere. Psalmo 13. & 18 & 31. & 130. & 142. Cur autem opera nostra nos non possunt iustificare, causam indicat Esaias propheta, qui omnes iusticias nostras dicit similes esse panno menstruate mulieris, Et Apostolus, qui eas uocat stercus, Philip. 3. Item Gal. 3. ne Christo suus honos adimatur, & nostris immun-  
dis, atq; imperfectis operibus attribuatur: Si enim per legem iusticia, ergo Christus gratis mortuus est.

II. Quotquot iustificantur, gratis propter mediatorē Christum iustificari.

Patet & hoc ex testimonijs superioribus, Item ex his sequentibus: Rom. 1. Per Christum gratiam accepimus. Rom. 5. Iustificati gratis per gratiam Christi. Ephes. 1. Deus benedixit nos in omni benedictione spiritali in cœlestibus in Christo. Sicut elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem, &c. Et postea: Gratificauit nos in dilecto filio suo. Cap. 2. Cuius gratia seruati estis. Esa. 9. Parvulus natus est NOBIS, & filius datus est

NO

NOBIS. Cap. 42. Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum, & educes de conclusione uinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. Capite 43. Ego sum, ego sum Dominus, & non est absq; me saluator. Ego annunciaui, & saluaui, auditum feci, & non fuit in uobis alienus. Et paulo post: Verumtamen seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas PROPTER ME, et peccatorũ tuorũ nõ recordabor. Huc pertinet 53. cap. eiusdẽ prophete totũ, in quo docetur, quid Christus Iesus nostri causa fecerit, ut nos cũ Patre recõciliaret, et nos iustos corã ipso faceret. Matth. 1. Ipse saluum faciet populum suum à peccatis. Cap. 11. Venite ad me omnes &c. Cap. 20. Filius hominis non uenit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro multis. 1. Ioan. 1, Sanguis IESV CHRISTI filij eius, emundat nos ab omni peccato. 1. Petri. 1. Scientes quòd non corruptibilibus, auro uel argento redempti estis, de uana uestra conuersatione paternæ traditionis, Sed precioſo sanguine, quasi agni incontaminati, & immaculati Christi. Et est omnium maximè perspicuum

E

de hac re testimonium Pauli Apostoli, quod Rom. capite 3. extat: Iustificati gratis, per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propiciatorem per fidem, in sanguine ipsius.

III. Fidem esse medium per quod applicetur gratuita propter Christum remissio.

Abacuc 2. Iustus fide sua uiuet. Osee 2. Et sponsabo te mihi fide, & scies quia ego Dominus. Gen. 15. Rom. 4. Gal. 3. Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iusticiam. Matth. 9. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Luc. 1. Beata quæ credidisti. Item cap. 7. Fides tua te saluam fecit. Huc multa testimonia transferri possunt ex Ioannis capite 3. ca. 5. ca. 6. ca. 8. ca. 11. & ca. 20. ubi fidei mentio fit. Acto. 10. Huic omnes propheta testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomē eius omnes, qui credunt in eū.

III. Certò statuendum credentes in Christum in gratia, & saluos esse.

Iohel, & Act. 2. ca. Quicumq; inuocauerit nomen Domini saluus erit, scilicet, fide. Roman. 10.

Rom.



Rom. 4. Ideo ex fide secundum gratiam, ut firma sit promissio. Item ibidem de Abrahamo dicitur: Credidit contra spem, in spem. Et rursus, Non infirmatus est in fide. Et in promissione Dei non haesitavit diffidentia, sed confortatus est fide, Dans gloriam Deo plenissime, sciens quia quaecunq; promisit Deus, potens est & facere. Hec cur Apostolus adeo sedulo inculcaret, si non uellet hoc omnibus exēplo Abrahamae persuasum esse, ut credant & ipsi sine haesitatione, & certò statuunt se credentes non reijci, sed uerè in gratia esse. Hanc parrisian & fiduciam firman, uides in multis Psalmis, qui de auxilio Domini certi sunt. Psal. 22. Etsi ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es, &c. Vide & Psalmū 17. & 90. & alios plures. Sic Paulus de se dicit Roma. 8. Nihil me auellet à charitate Christi. Item: Certus sum, quia neque mors, neque uita, neque angeli, neque principatus, neque uirtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit separare nos à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Ephe. 3. Apostolus quatuor significantibus uocabulis nititur eaq; studiose congungit, ut certitudinem haue

omnibus infigat, quo de salute non dubitent credentes in Christum. Primum est  $\tau\alpha\epsilon\gamma\gamma\eta\sigma\iota\alpha$ , quod fiduciam significat, alterum  $\tau\epsilon\theta\sigma\alpha\gamma\omega\gamma\eta$ , quod accessum: tertium  $\tau\epsilon\tau\alpha\theta\eta\sigma\iota\sigma$ , quod confidentiam, quartum  $\tau\omega\iota\sigma\iota\sigma$ , quod fidem notat. Sic in Symbolo dicimus: Credo remissionem peccatorum. In oratione Dominica petimus remissionem peccatorum. Et addimus, Amen. Ita Sacramenta in singulis confirmant fidem, & certitudinem contra dubitationem. Iacobi 1. Qui hesitat similis est fluctui maris, qui à uento mouetur, & circumfertur. Non ergo existimet homo ille, quòd accipiat aliquid à Domino. 1. Ioan. 5. Qui non credit filio, mendacem facit eum. Et certissimum est, Christum nihil grauius increpare, quàm infidelitatem, ut sciant omnes, sicut impossibile est, sine fide placere Deo, ita omnes qui uerè credunt, & cum fiducia accedunt ad thronum gratiæ, illi sunt in gratia, illi placent Deo.

# De Noua O

BEDIENTIA, SEU

de bonis operibus,

I. No

I. Nouam obedientiam, & opera piorum in hac uita per sese esse imperfecta.

Gen. 6. & 8. capite, Item Ieremie 17, extant dicta grauiſſima de cordis humani prauitate, quae ſupra recitata ſunt: ex tali autem corde non poteſt obedientia omnibus numeris absoluta, & perfecta naſci. Siquidem Dominus non tantum externuſ opus manuum noſtrarum, ſed cordis etiam perfectum aſſenſum requirit. Eſa. 64. capite dicuntur opera pannus menſtruate mulieris. Philipp. 3. uocantur iuſticiae noſtrae ſtercus. Et ne hoc intelligi poſſit de ijs, qui non ſunt eccleſiae membra, extant etiam ſanctorum hominum teſtimonia, qui de ſuis operibus ita loquuntur, ut ſatis conſpici poſſit ea imperfecta eſſe, & in iudicio Dei ſubſiſtere non poſſe. Sic Dauid orat, ne Dominus cum ipſo intret in iudicium. Item praedicat eos tantum beatos, quorum tecta ſunt iniquitates. Et omnes ſanctos, docet, oportere petere remiſſionem peccatorum, Pſal. 31. Paulus autem 1. Cor. 4. Nihil, inquit, mihi conſcius ſum, ſed in hoc non ſum iuſtificatus. Idem Rom. 7. apertiſſimis uerbis dicit, nihil boni inhabitare in carne ſua. Vocat item ſeſe carnalem

uenundatum sub peccatum &c. De Abrahamo dicit Rom. 4. eum non posse gloriari apud Deum de iusticia legis. Philipp. 2. docet nos gestare thesaurum in fictilibus uasis. 1. Cor. 5. iubet uetus fermentum expurgare. Gal. 5. dicit carnem concupiscere aduersus spiritum. Hæc quorsum opus fuit tam saepe inculcare, si opera, quæ nos facimus sunt perfecta? Cur Lucæ 17. capite Christus docet, nos seruos inutiles esse, etiam tunc, cum omnia facimus, quæ possumus, si non sentit, nos nihil perfecti facere posse, etiam si maxime conamur.

II. Illam autem obedientiam nouam, & opera, quantumuis imperfecta, tamen placere Deo in persona iam reconciliata.

Rom. 12. Cum Apostolus ad opera bona, & ad corporis proprii oblationem hortatur pios, maxima commendatione illa effert. Vocat enim ea hostiã uiuentem, sanctam, Deo placentem. Psal. 49. nominat opera piorũ sacrificia laudis. Christus Matth. 5. Lucem lucentẽ corã hominibus, ex quo celebre tur Pater cœlestis. Hæc, & similia encomia testantur opera etiam imperfecta piorum placere Deo.

Testa

Testantur idem promissiones factæ de recompensatione illorum: item mādāta, quibus ad ea incitātūr oēs. Deniq; laudationes Christi, qui officia pietatis, sibi præstita, in multis personis extollit, et contra aliorum calumnias defendit. Sic legimus de muliercula frangente alabastrum, Matth. 26. item de alia imponente teruncium in gazophylaciū Matt. 12. itē de muliere peccatrice, rigāte pedes Iesu lachrymis suis, Lu. 7. quarū opera & sibi placere ostendit Christus, & ea etiam defendit.

III. Officia autem, & opera secundę tabulæ non minus necessaria esse, et pbari Deo, q̄ primę.

Matth. 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum, & primum mandatum. Secundum autem est simile huic, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Osee 6. Matth. 9. & 12. præfertur misericordia, quæ est secundę tabulæ opus sacrificio, quod ad Deum, & primā tabulam pertinet. Sic Matth. 5. iubetur cum proximo reconciliari, qui uult sacrificare. Ioan. 13. hortatur suos ad opera caritatis. idem facit Apostolus in multis locis, Gal. 5. & 1. Corinth. 13. & alibi.

III. Illa sola esse, & dici debe-  
re opera bona, quæ Deus in sua  
lege præcipit, & rursus mala, quæ  
huic contraria sunt.

*Testantur hoc ea dicta, quæ iubēt nos tantum in  
præceptis Domini ambulare. Deut. 4. & 12. Psal.  
1. Matth. 28. Ioan. 14. quæ suprâ recitata sunt. Item  
illa dicta quæ prohibent opera, & cultus ab homi-  
nibus inuentos sequi. Esaiæ 9. Matth. 15. Frustra  
colunt me &c. Deut. 4. Non addetis &c. Prouer.  
30. Omnis sermo Dei ignitus clypeus est, speran-  
tibus in se, non addas quidquam uerbis illius, & ar-  
guaris, inueniarisq; mendax. Rom. 10. ignorantes  
iusticiam Dei, & suam quærentes statuere, iusti-  
ciæ Dei non sunt subiecti. Idem Apostolus 1. Ti-  
moth. 4. reijcit electicia opera, & prohibitiones  
ciborum, coniugij &c. contrarias legi diuinæ.*

V. Illam quantumuis imperfe-  
ctam obedientiam, sua habere  
præmia, huius & futuræ uitæ, (et  
si gratis propter mediatorem so-  
la fide iustificamur) idq; ex boni-  
tate,

tate, & promissione diuina,

Exo. 20. Faciet Deus misericordiam in millia.  
 Idem Leuit. 26. & Deut. 28 dicitur. Matth. 25.  
 seruo fideli additur talentum &c. Item qui bene  
 operati sunt, iubentur possidere regnum Patris,  
 quod illis à mundi constitutione paratum fuit. Et è  
 contra, qui mala fecerunt in ignem æternum rele=  
 gantur. Luc. 6. Date, & dabitur uobis &c. Mat=  
 thæi 5. recenset Dominus beatitudines, & postea  
 subiicit de præmijs. Gaudete, & exultate, quoniã  
 merces uestra copiosa est in cælis. 1. Timoth. 4.  
 Pietas autem ad omnia utilis est, promissionem  
 habens uitæ, quæ nunc est, & futuræ. Talia autẽ  
 præmia contingere non ex operum merito, sed ex  
 promissione, & bonitate diuina, ( quia persona  
 iam placet Deo propter filium ) hoc testatur,  
 quòd opera illa per se sunt imperfecta, ut supra  
 ostensum est. Item hoc, quod Apostolus dicit 1. Co=  
 rin. 4. & Rom. 11. nos nihil habere, quod non  
 antea acceperimus. Si ergo Deus ea remun=  
 nerat, quæ ipse dedit, sua non no=  
 stra remunerat, & adimitur  
 nobis omnis gloriatio,  
 & ratio meriti.

# De Magi- STRATV.

## I. Magistratum esse ordinatio- nem diuinam.

Gen. 9. Quicumq; effuderit sanguinem humanū, fundetur sanguis illius. Hic & Magistratus, & eius officium confirmatur. Ro. 13. Non est potestas nisi à Deo. itaq; quisq; resistit potestati, Deo resistit. Prouer. 8. Per me reges regnant, & principes constituunt iusta. Ps. 82. Dixi Di; estis. Ps. 143. Quidas salutē regibus etc. 2. Para. 19. Nō hoīs exercetis iudiciū, sed Domini. Matt. 22. et 26. cōfirmat Christus magistratus autoritatē cū iubet dare Cæsari nec uult quenq; propria autoritate gladiū tollere.

## II. Magistratum custodem esse legis diuinæ, ac tam primæ, quàm secundæ tabulæ.

Psalmo 2. Nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, seruite Domino &c. Hæc ad primam tabulam spectant, et iubent magistratus per se pios esse, amplecti Christum, & euangelion

cuius



eius, ac operam dare, ut idem ab alijs quoq; fiat. 2. Paral. 19. Iosaphat iudicibus à se constitutis mandat: sit timor, inquit, Domini uobiscum, & cum diligentia cuncta facite. Ipse etiam laudatur, quòd abstulerit lucos de terra Iuda. Sic Iosua religionē curauit, & suis subditis de uera doctrina prospexit, iubens Deuteronomiorum librū prælegi. cap. 8. Sic Moyses Deut. 17. præcipit ut Rex Israël habeat descriptum exemplar sibi legis, & illud legat omnibus diebus uitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire uerba, & ceremonias eius, quæ in lege præcepta sunt. Item mandat, ut magistratus puniant omnes uiolationes externas, primæ & secundæ tabulæ. Idem testimonium 2. Paral. 17. extat. Et de operibus secundæ tabulæ tanto minus dubium est, quanto certius omnibus constat, magistratum constitutum esse ut terrori sit malo operi, honori autē bono. Considerentur etiam exemplū Dauidis, qui cōstituit corā arca Domini de Leuitis ianitoribus, psallentibus & sacerdosibus, qui ministrarent Domino, & recordarentur operum eius, & glorificarent, atq; laudarent Dominum Deum Israël. 1. Paralip. 16.

III. Posse bona conscientia  
Christianos magistratū gerere.

Hoc ex superioribus testimonijs manifestum est, & bona consequentia sequitur, cum magistratus sit ordinatio Dei, posse homines in illa ordinatione Deo utiliter seruire. Exempla hoc comprobant. Item præcepta Dei, quæ iubent honorare magistratum tanquam parentes.

## De Coniugio.

I. Esse & illud ordinationem diuinam, & sanctam.

Gene. 1. Creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, ad imaginem Dei creauit illum, masculum & fœminam creauit eos, benedixitq; illis Deus. Cap. 2: Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi &c. Quamobrem relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Ex his constat coniugium Dei ordinationem esse. Et ut hæc ordinatio sit sancta, & inuiolata, præcipit Dominus in decalogo, ne quis mœchetur, item ne quis concupiscat uxorem proximi sui. Confirmat hanc patris sui sacrosanctam consti-

constitutionem Dominus noster Iesus Christus Matth. 19. & Ioan. 2. ubi ipse cum discipulis suis interest nuptijs. Sic Apostoli quoq; faciunt, Paulus iubet nubere, prohibet diuortia, præcipit ut coniugium sit honorabile omnibus, docet de amore coniugali. Petrus præcipit uiris, & uxoribus mutuum amorem, præscribit illis exempla Abrahami & Saræ. Psal. 127. & 128. dicit de benedictionibus, quæ pijs coniugibus propositæ sunt.

II. Esse concessum omnibus, in quibuscunque uitæ generibus uersantibus, exceptis ijs quos Christus ipse excipit.

Quos Christus à coniugio excipiat, cap. 19 Matthei docet. Reliquis omnibus conceditur coniugium, tanquam ordinatio Dei bona, & genus uitæ sanctum et pium. Probant hoc testimonia superiora, in quibus coniugij dignitas continetur. Item quod exempla extant, omnium ordinum homines fuisse coniugatos, etiam ipsos Apostolos, de quibus. 1. Cor. 9. dicitur, quod uxores suas circumduxerint. Item quod Apostolus doctrinam demoniorum uocat, coniugium prohibere, & præcipit idem ut Omnibus sit honorabile.

### III. Non æquum esse, ut liberi sine parentū consensu contrahāt.

Hoc ex quarto præcepto decalogi uerum est, ubi iubentur parentes honorari. Et monent idem exempla Samsonis, Isaac, Rebecca, Tobie, & reliquorum, quos nobis sacra biblia proponunt.

Et hætenus quidem de prima Ecclesiæ nota copiosius egimus, ut ostenderemus, qualis scripturarum allegatio, & consensus requiratur, & accipiatur pro ueræ Ecclesiæ nota, talis uidelicet, ubi Ecclesia non gignit de his articulis nouam doctrinam, nec ad sensum suum attemperat scripturam, non mutat, nec mutilat locos scripturæ, nihil addit, nihil detrahit, sed accipit doctrinā à filio Dei, à prophetis, et Apostolis. Et intelligit eā iuxta collationē et perpetuū cōsensum uniuersæ scripturæ.

Intelliget autem hinc pius & Christianus lector, talem citationem, non detorquere scripturarum dicta, contra earundem catholicum, & communem consensum, neq; mutilatum aliquid asserere: Sed toti corpori correspondere, & sibi ubique consentire. Intelliget porro respici in eo semper ad regulas fidei nostræ in symbolis antè nominatis, positas. In illis totum genus humanum peccati

peccati reum constituitur, cum dicitur: *Cre-*  
*do in IESUM CHRISTUM, filium eius uni-*  
*genitum, qui propter nostram salutem descendit*  
*de caelis, qui passus est sub Pontio Pilato, Cruci-*  
*fixus, mortuus &c.* Sed cur haec facta sunt? num  
frustra? num gratis? Absit, Sed ut constitue-  
ret sibi Ecclesiam sanctam catholicam, & in ea  
daret remissionem peccatorum. Non igitur fuit  
nostri liberi arbitrii, nec nostrarum uirium, nec  
opus legis, ut salui fieremus, sed ipsius opus, ut  
credendo remissionem peccatorum accipientes,  
uitam aeternam consequamur, & per ipsum san-  
ctificati in nouitate uitae ambulemus, simus obe-  
dientes, casti, & ad omne opus bonum prom-  
pti, &c. Qui uero scripturae dicta huc detor-  
quent, ut peccatum in nobis extenuent, ut no-  
stris uiribus, legis operibus, aut nouitati uitae, iu-  
sticiam coram Deo tribuant, illi manifestissimas  
fidei regulas symbolorum euertunt, & cum scri-  
ptura tota pugnant,

Si enim aut ex nobis, aut per legem iusticia, ergo  
Christus gratis mortuus est, ergo oia nihil sunt,  
quae scriptura de filij Dei passione, morte, resurre-  
ctione, & toto eius redemptionis opere dicit.

ALTERA uerae Ecclesiae nota, est legitimus

sacramentorum usus, quæ Christus ecclesiæ suæ instituit & commendauit. Hæc nota coheret cum superiori: sunt enim sacramenta uerbum uisibile.

Ephes. 5. Sicut & Christus dilexit Ecclesiam suam & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, emundans eam lauacro aquæ in uerbo uitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam &c. Hic uerbi tanquam notæ prioris, & lauacri aquæ, hoc est, Baptismi, tanquam notæ alterius mentionem fieri audis, ut hinc colligere, & certò statuere possis, sicut ad ueram Ecclesiam pertinet uerbi prædicationis, sic ad eandem legitimus sacramentorum usus spectat. Christus enim Ecclesiam suam ex gratia uocat, & sanguine suo emundat, & hæc omnia per uerbum uitæ annunciat, ut fide recipiantur, & quæ fide recepta sunt, sacramentis obsignentur. ut fides certa & confirmatio fiat.

Actor. 2. Cum Petrus post concionem ab Ecclesia, quantum Dominus per ipsius predicationem colligebat, quid porro faciendum esset, interrogaretur, Respondet in hæc uerba, Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque uestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum uestrorum, & accipietis donum spiritus sancti &c. Docens hoc modo, Baptismum Ecclesiæ Christi esse man-

esse mandatum, & uerum, ac proprium eius signum, nec esse quenquam in Ecclesiae societatem recipiendum, nisi prius baptizetur. Sic enim ante à Domino ipso audiuerat, ut euntes in orbem uniuersum, docerent omnes gentes, & baptizarent eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Eodem capite fit mentio, & alterius sacramenti, per fractionem panis, ut hinc certò constaret, eum cœtum, qui tunc collectus erat, perseuerans in doctrina apostolorum, & communicatione, fractione panis, & orationibus, esse uerā Ecclesiam.

Porro ut uera Ecclesia Dei, legitimum sacramentorum usum habet, ita ea & ueram de ijs doctrinam custodit, & recitat. De numero certa est, saluatorem, Dominum, & caput Ecclesiae, instituisse duo tantum, Baptismum, & cœnam. Ea ueneratur, obseruat, & amat, ijsq; contenta est: Nec sumit sibi autoritatem condendi plura suo arbitrio sine expresso mandato Christi: nec pluribus opus esse scit. De Baptismo mandatum accepit Matth. & Marci ultimo. De cœna, Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. & 1. Cor. 11.

Intelligit etiam horum sacramentorum causam efficientem, & institutorem esse, non hominem, non Angelum, sed ipsum Dominū Iesum Christū, à quo & ipsa suam habent autoritatem.

De finali causa fatetur Apostolum loqui, cum de circumcisione uerba facit Rom. 4, uocans eam signaculum iusticie fidei. Vnde & nostra sacramenta nobis instituta esse credit, ut sint signacula iusticie fidei, & signa applicationis, ut fides per ea excitetur, et confirmetur, et promissiones Euan-  
gelij singulis applicentur.

Scit etiam ea non ex opere operato, ut uocant, & sine bono motu utentis ualere, & applicari posse creaturis mutis, ratione carentibus, uel etiam hominibus mortuis, sed in ijs esse efficacia, qui in fide uera illis utuntur.

TER T I A deinceps Ecclesie Christi nota est, uerus clauium usus, quarum possessionem à Domi-  
no accepit Matth. 18. Ioan. 20.

Harum usum esse debere nouit, ut ijs, qui pœni-  
tentiam agunt, remissio peccatorum, in nomine Ie-  
su Christi annuncietur, non agentibus pœnitenti-  
am, sed in peccatis perseuerantibus, peccata non  
remittantur, sed ligentur, non ui corporali, sed  
uerbo. Nec utitur his clauibus in ligatione aut so-  
lutione aliorum peccatorum, quàm quæ uerè pec-  
cata sunt, quæ uidelicet contra legem Dei, & ma-  
nifestam scripturam pugnant, non transfert eas  
ad peccata quæ ex uiolatione superstitionum  
traditionum hypocritis peccata uidentur, multo  
minus



minus ad pecuniarū, et debitorū exactiones, ad acquirendam potentiam dominandi, ad exercendam tyrānidem erga infontes, aut ad suppressionem magistratus politici, & similes abusus adhibendas esse censet.

QVARTA nota Ecclesiae, est inuocatio seu oratio, sicut huius notae, proximè mentio facta est ex capite secundo Actorum, in loco suprā citato. Et multa sunt dicta, quae testantur ad Ecclesiam spectare orationem, & eam proprium illius opus esse, quod praecipuè Ecclesiam ab omnibus alijs gentibus discernit.

Zach. 12. Effundam super domum David, & super habitatores Hierusalem spiritum gratiae, & precū. Sophon. 3. Reddam populis labium electū, ut inuocent nomen Domini. Item: Domus mea, domus orationis est. Luc. 18. praecipit Dominus, ut seimper oremus, & nunquam defatigemur. Idem monet Paulus 1. Timoth. 2. & 1. Thessal. 5. & alibi.

Vera autem Ecclesiae Dei inuocatio est, quae fit ad Deum uerum, Patrem Domini Iesu Christi, & in nomine eius, ex fiducia illius, tanquam unius, et ueri Mediatoris, in quo omnes promissiones sunt amē, in quo solo uult pater honorari. quae item nō ad certa loca, personas, tempora, aut alias circumstantias est alligata, nec Deū uerū, quem inuocat,

aliquò, quàm quò se alligatum esse uoluit, alliget, sed spiritu libero fit, quocunq; loco, & tempore.

Sic docet Christus Ioan. 4. Veniet hora, quando neq; in hoc monte, neq; in Hierosolymis adorabitis patrem: Et postea. Sed uenit hora, & nunc est, quando ueri adoratores adorabunt patrem, in Spiritu & ueritate. Alibi dicit Christus: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, faciam, ubi uult sui nominis mentionem expressam fieri.

QVINTA Ecclesie nota est Crux, quam Christus dicit sequuturam esse eos, qui ad ipsum pertinent. Luc. 9. Si quis uult post me uenire, abneget seipsum, & tollat Crucem suam quotidie, & sequatur me. Ioan. 15. Mementote sermonis mei, quem dixi uobis. Non est seruus maior Domino suo, si me persecuti sunt, & uos persequentur. Si sermonem meum seruauerunt, & uestrum seruabunt. Sed hæc omnia facient uobis propter NOMEN MEVM. Item ca. 16. Veniet hora, ut omnis, qui interficit uos, arbitretur obsequium prestare Deo. Idem testantur multi psalmi, & Apostolorum dicta, quæ de Ecclesie Cruce loquuntur, & pios tanquam pecora ad mactationem destinatos esse affirmant. Discernunt tamen inter afflictiones Ecclesie, & impiorum, ac monstrant pijs crucem incumbere, non proptor scelera, sed propter nomen

nomen Domini, & uerae doctrinae confessionem.

SEXTA Ecclesiae nota est, ex animo reuereri ministeriū, eiq; praestare obedientiam in illis, quae proprie ad ministerium pertinent, uidelicet, in audienda uera doctrina, tuendoq; illius consensu, & legitimo sacramentorum usu, atq; in conseruanda coniunctione fidei, inuocationis, & confessionis, iuxta dicta: Qui uos audit, me audit, 1. Cor. 1. Non sint inter uos schismata. Hebr. 10. Non deserentes congregationem uestram. item: Obedite praepositis uestris.

Vtrunq; autem praestat Ecclesia: non temere discedit à ministerio, & publica coniunctione: & cum cogitur facere discessionem auctoritate diuina, antefert diuinum mandatum obedientiae humanae. Retinet etiam libertatem Christianam, cōcessam à filio Dei in traditionibus humanis: Nimirum cum illi, qui tenent ordinariam potestatem, inuehunt corruptelas doctrinae, defendunt idola, & impijs traditionibus uel euertunt, uel sauciant conscientias, sicut dicitur Gal. 1. Si quis uobis euangelizauerit praeter id, quod accepistis, anathema sit, Matt. 7. Attendite à falsis prophetis. item, Fugite idola. In ea libertate, ad quam uocati estis, state. Nemo uos iudicet in cibo, & potu. Regnum Dei non uenit cum obseruatione. Frustra colunt me

mandatis hominum &c.

Etsi autem plures fortassis sint notæ, ex quibus quæ, & ubi uera Ecclesia sit in hac uita, cognoscere possis: tamen has nunc sufficere arbitramur. Et poterit hinc per se quisq; facile perspicere, cui serio cordi erit ueræ Ecclesiæ membrum esse, qui cætus fugiendus, aut sequendus sit.

Conferat ergo nunc Lector, utrunq; cætum, papisticum illum magnificum & splendidum, atque hunc nostrum contemptum, quem illi Lutherani uocant, cum his quæ dicta sunt, ac iudicet ipse, uter propius ad ueram Ecclesiam accedat.

Quod ad doctrinam, & primam Ecclesiæ notam attinet, non obscurum erit cognoscere, nostros ipsum prophetarum & apostolorum consensum, iam modo recitatum, per singulos articulos fidelissime sequi & tueri. Contra uero illos in omnibus ferè ab eo consensu recedere, & pro sua audacia multa mutare, inuertere, uel etiam prorsus abolere: Exempla hoc declarabunt.

## De lege.

**N**os docemus eam perfectam omnium uirium hominis obedientiam requirere, quam nos præstare non possumus. Non  
igitur

igitur alio fine datam esse legem, quàm ut discipli-  
na coerceat impios, ut peccata arguat, ac ad Chrè-  
stum ducat, p̄ijsq; quæ opera sint bona & à Deo  
mandata, monstret.

Illi uero, legem tantum externam obedientiam  
requirere, & ea contentam esse: Deinde illam obe-  
dientiam, non modo homines perfectè præstare,  
sed longè etiam maiora, & plura facere posse, au-  
dacissimè affirmant. Quæ uox acerbissimus Sa-  
thanæ sarcasmus est, quo & Deum ridet, & mise-  
ræ naturæ humanæ illudit. Ex quo fonte opera su-  
pererogationis, & alia multa sunt nata. Fingunt  
nonnulla opera legis, non ad omnes homines per-  
tinere, sed tantum consilia esse, proposita perfe-  
ctioribus. Item legis finem esse homines iustos co-  
ram Deo facere.

## De libero ar- BITRIO.

**D**Ocemus homines etiam sine gratia posse  
externam legis disciplinam aliquo mo-  
do præstare: sed in spiritualibus, & re-  
bus ad salutem nostrā pertinētibus, uires hominis

ita infirmitas esse, ut sine gratia nihil rectè agere, nihil præstare & perficere possint. Accedente uero gratia, posse eos quidem rectè agere, sed ingentem tamen in carne nostra imbecillitatem remanere, & perpetuam spiritus & carnis luctam existere.

illi uero sicut docent homines sine gratia, legis opus facere, & se ad gratiam præparare posse: ita addunt ea meritoria esse, & de congruo (ut loquuntur) gratiam impetrare. Deinde impetratam gratiam, eos integram obedientiam legi, & spirituales actiones, quas Deus requirit perfectè præstare posse, ac ea opera, quæ fiunt, de condigno uitam æternam mereri. De illa uero inherente, & manente infirmitate nihil solliciti sunt, nec eam peccatum esse existimant.

## De Peccato.

**D**ocemus omnes homines nasci peccatores. Et peccatum illud originale, in quo nascimur omnes, esse illam ipsam destructionem iusticiæ originalis, manentem in homine, & parientem uiciosas cogitationes, affectus, & motus, contra legem Dei, nec cessantem, quamdiu homo  
in hac

in hac mortali uita uersatur. & eam ἀταξία, reuera esse in assentientibus, & incredulis peccatum æterna morte puniendum.

Illi tamen si peccatum originale non negant, ualde tamen illud, & uariè extenuant, & contendunt, concupiscentiam, ac uiciosos affectus, non esse peccata, non damnari, nec accusari. Sed molli uocabulo, uocant somitem peccati. Concupiscentiam affirmant non esse deprauationē, et ἀταξία, superiarum, sed tantum infimarum uirium, nominant eam ἀδυσκόπον, ac dicunt illam, tam esse secundum naturā, quā appetitum cibi & potus.

Imo addunt illam in sanctis propterea post baptismum relinqui, ut sit occasio merendi. Quo sarcasmo iterum per eos immani superbia Deum irridet, & insultat miseris naturæ humanæ.

## De Pœnitētia.

**T**Res cum scriptura partes ponimus, contritionem, fidem, & nouam obedientiam, seu fructus, & effectus fidei. Contritionem uocamus dolorem, qui ex agnitione peccati, & consideratione iræ Dei aduersus peccatum nascitur, et prædicatione legis per spiritum sanctum exci-

tatur. Ad quā, nisi fides, id est, fiducia misericordiae gratuita propter Christum promissae accedat, hominem in desperationem ruere & perire. Sicut impiorum exempla Iudae, Saulis, & ceterorum ostendunt. Ex uera autem fide sequi debere, & uerè sequi nouam obedientiam, id est, fructus dignos pœnitentia.

Illorum doctrina de pœnitentia est plena labyrinthis, inijcit laqueos conscientijs, nullā monstrat firmam consolationē, & deducit ad desperationē.

Faciunt quidem tres partes pœnitentiae, & retinent contritionem, sed deinde assumunt confessionem, & satisfactionem canonicam, sine ullo testimonio scripturae, atq; in singulis errores perniciosissimos statuunt.

1. In contritione. 1. Quia dicunt hominem suo arbitrio, sine lege, & spiritu sancto, posse suscipere contritionem per actus elicitos. Secundo contritionem debere esse sufficientem. Tertio, quod sufficientia contritionis mereatur remissionem peccatorum.

2. De fide accedente, ne desperatio sequatur, nullum uerbum faciunt, neq; de noua obedientia, seu fructibus dignis pœnitentia. Sed in eius locum confessionem auricularem collocant.

3. In hac docent oportere omnium peccatorum



rum enumerationem fieri. contra quod dicitur in Psalmo, Delicta quis intelligit?

Enumerationem autem necessariam esse, ut possit à sacerdote fieri cognitio culpa, & imponi satisfactio, Item, enumerationem ex opere operato, mereri remissionem peccatorum, tollere pœnas æternas, & mitigare temporales.

4. Satisfactiones uocant opera indebita, quæ confessores, ut uocant, pro suo arbitrio iniungunt. Et affirmant illa esse compensationem, & expiationem pro peccatis, atq; ita contumelia afficiunt sacrificium Christi, quod solum scriptura nominat satisfactionem pro peccato, iuxta dictum: Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

Item, docent satisfactionem tollere & mutare æternas pœnas in temporales, atq; eas ipsas mitigare. Item satisfactiones per indulgentias tolli, quibus infinitas operationes tribuunt. Atq; huc pertinet totum chaos de indulgentiis. De quibus tam portentosa docuerunt, ut eos ipsos nunc pudeat illorum deliriorum.

# De Euangelio.

**D**ocemus illud esse prædicationē pœnitentiæ, & remissionis peccatorum, in nomine Iesu Christi, ac inter doctrinas legis & Euangelij distinguimus: dicimus Euangelij promissiones esse gratuitas, legis uero conditionales, quæ cum conditione seruata, & impleta legis uitam promittunt.

Illi nullum discrimen inter legem & Euangelion norunt, sed utramq; doctrinam, quæ longissimè distant, miserrimè confundunt. Euangelion somniant esse nouam legem, affingunt eius promissionibus conditionem nostræ dignitatis, sicut legi. Faciunt triplicem legem, Naturalem, Moisaicâ, & Euangelicam, ac omnes somniant suæ legis impletione iustificatos esse. Item euangelion reuelatum esse nullam aliã ob causam, nisi ut proponeret perfectiora opera, & consilia. Atq; ex hac confusione meritum Christi prorsus obscurât, dum uiribus nostris legis impletionem & iustificationem attribuunt, dubitationes perpetuas, & alios manifestissimos errores defendunt.

## De Iustificatione.

**D**ocemus hominem nequaquam aut suis, aut ullis operibus legis iustificari, id est, remissionem peccatorum impetrare ac coram Deo iustum esse, & in iudicio eius consistere posse, sed remissionem peccatorum, & iusticiam gratis dari propter Iesum Christum, ijs qui credunt in nomine eius. Et dicimus impium esse, contra naturam fidei, & totius scripturae consensum, dubitare an simus in gratia, an credentes in Christum uerè accipiamus remissionem peccatorum.

Illi autem etiam uocabula usitata in doctrina de iustificatione deprauant, contra manifestam scripturam. Fidem tantum intelligunt noticiam, qualis est in Diabolis: iustificationem, introductionem nouarum qualitatum, quibus placeamus Deo. Iusticiam, nostram dignitatem, & nouas uirtutes, quibus simus iusti coram Deo.

Deinde iusticiam non solum operibus legis, sed etiam traditionibus humanis attribuunt, Christo initium salutis, seu, ut ipsi loquuntur, impetrationem primae gratiae concedunt, nobis & uiribus nostris perfectionem, & absolutionem gratiae assignant. Nec uolunt nos gratis propter obedientiam, & meritum mediatoris iustificari, sola fide acquiescente in gratuita misericordia.

Alij astutiores, nouis coloribus pingunt teatros errores ueteres: Cōcedunt nos iustificari propter Christum, scilicet, principaliter, sed minus principaliter, propter nostram dignitatem. Non nulli affirmant, non quidem operibus præcedentibus fidem, & reconciliationem, sed sequentibus uirtutibus, nos iustos esse coram Deo. Propositionem Paulinam, Fide iustificamur, uariè lacerant. Alij dicunt, Fide s. præparante. Alij affingunt Saneccochen, Fide s. coniuncta cum alijs uirtutibus. Alij hoc modo, Fide s. formata dilectione.

Et quanquam inter se mirabiliter dissentiant, in hoc tamen omnes conueniunt, quòd contendunt etiam nostram dignitatem oportere accedere, tantum ut extenuent, & contumelia afficiant beneficium Christi, ne tribuere cogantur Filio Dei suum honorem, ut eripiant conscientijs necessariam consolationem, easq; deducant in dubitationem, ac confundant legem & Euangelion.

Interim tamen perpetuo dubitare iubent, & ethnico more incertos esse, an simus in gratia, an habeamus peccatorum remissionem. Quin etiam laudant dubitationem & diffidentiam, de gratuita misericordia, propter mediatorem promissa, tanquam egregiam uirtutem, & tribuunt illi appellationem humiliatis, & timoris Dei. Fidem  
acqui-

acquiescentem in mediatore, statuenet in hominē esse in gratia, & accedentem per Christum ad Deum, uocant securitatem & superbiam. Atq; ita inscitia grammatices confundunt uocabula dubitationis, dissidentiae, timoris, humilitatis. Item fidei, securitatis, & superbiae, quae tamen plurimū inter se differunt. Insuper conscientias luctantes praecipitant in desperationem.

## De Noua O= BEDIENTIA, SEV de bonis operibus.

**N**os docemus ea esse imperfecta, & tamē in persona iam recōciliata placere Deo. Item illa esse uerē bona opera, quae in lege Dei praecipuntur, & officia secunda tabulae non minus necessaria esse, & placere Deo. Habere etiam obedientiam nostram, quantumuis imperfectam, non ex debito, sed ex misericordia diuina, promissionem renumerationis, & in hac, & in futura uita.

Hæc illi prorsus inuertunt. Operibus suis perfectionem attribuunt, & propter ea personam placere, et iustam esse coram Deo. Fingunt novos cultus, noua opera, extra legem & uerbum Dei, iuxta traditiones humanas, ueluti uota monastica, discrimina ciborum, & uestium, peregrinationes ad reliquias sanctorum, cultus idolatricos hominum mortuorum, superstitionosas ceremonias, rosaria, et alias ineptias, quarum multas mutuuntur ab ethnicis. Hæc uocant opera indebita, supererogationis, & perfectionis, & præferunt ea etiam ijs quæ in lege præcepta, atq; totum orbem superstitionis plenum fecerunt, addentes omnibus his opinionem meriti.

Opera secundæ tabulæ, & officia uocationis superbo supercilio fastidiunt, & longè postponunt suis superstitionibus. Imo addunt homines cum aliquo periculo salutis in illis ciuilibus operibus, qualia sunt magistratus, piorum coniugum, seruorum, & ancillarum, uersari, sicut postea dicitur,

De Ma

# De Magi- STRATV.

**R**euerenter sentimus, & docemus, eumq; ordinationem diuinam, & nobis in bonis institutum esse agnoscimus. Credimus ipsum ministrum Dei, & debere tueri gloriam Dei, ac custodē esse non minus primæ, quàm secundæ legis tabulæ: ut impios cultus, & falsam doctrinam impediatur: ueram doctrinam, & cultus promoveat, & defendat. Et scimus Christianos posse bona conscientia magistratum gerere, & politica officia exercere.

Illi uero, tametsi nunc de magistratu uelint uideri reuerentius sentire, edocti nostrorum scriptis, tamen extant ipsorum libri, qui testantur quid magistratui concedant. In quibus non solum politicum statum, cum Marcione, Manicheis, & Anabaptistis damnant, presertim monachi, & negant quenquam cum bona conscientia in magistratu uersari posse, sed etiam aliam petulantiam aduersus illum ordinem exercent.

Primum se ab omni obedientia ciuili eximunt. Deinde, sibi potestatem ordinandi, & constituen-

G

di, quæ uelint, arrogant. Tertio rapiunt ad se ius cõstituendi & deponendi magistratus, quos uelint: & subditos ab ipsorum obedientia absoluunt, ac ita pro sua libidine, & Ecclesiasticam, & politicam gubernationem in sua manu habere uolunt.

## De Coniugio.

**R**ursus docemus ordinationem diuinam, bonam, & sanctam esse, et concessum esse illud omnibus, qui uel apti sunt ad hoc, uel continere non possunt, siue sint sacerdotes, siue laici. Liberos etiam admonemus, ne sine parentum consensu contrahant matrimonia, & in hoc quarti præcepti memores sint, quod parentes honore adficere iubet, & exemplis sanctorum patrum illustratur, qui in contrahendo matrimonio parentum consilia, & admonitiones diligentissime sequuti sunt.

Illi contra multis modis in hanc sanctissimam Dei ordinationem iniuri sunt, dum coniugium statum imperfectionis uocant: dum illi celibatum impurissimum adeo præferunt, ut eo cælum, coniugio autem tantum terram impleri dicant: dum affirmant,



firmant in coniugio uiuere, esse uersari in carne,  
 & esse cubilibus, & immundicijs seruire.

Item dum coniugium tanquam immundiciem,  
 & impedimentum salutis, magnæ parti generis  
 humani interdiciunt, non habita ratione, utrum ho-  
 mines ad continendum sint idonei, nec ne, & pro-  
 hibent ne illi qui sacerdotes sunt, hoc uitæ genus  
 ingrediantur, honestas matronas, coniuges sacer-  
 dotum, scorta, & natos ex hoc coniugio illegiti-  
 mos, & incestos, uocant.

Dant non solum ab officio sacerdotes coniuges  
 deponendos, sed etiam occidendos esse censent:  
 Cum nulla unquam gens tam fuerit barbara, tam  
 fera, tam immanis, tam impia, quæ hoïes propter  
 pium coniugiũ in exilia eiecerit, & interfecerit.

Qua impietate manifestè ostendunt, se esse a-  
 lienissimos à uera Ecclesia, quæ semper pium con-  
 iugium reuerenter uenerata est. Imo sese producit  
 esse membra Antichristi, de quo uaticinatur Da-  
 niel, eũ sogyã's mulierũ, id est, coniugium asper-  
 naturum. Ac Paulus doctrinas demoniorum uo-  
 cat prohibere coniugium.

E contra suo sacrilego interdico coniugij, au-  
 gent peccata Sodomitica, uagas libidines, & tur-  
 pissimas scortationes: Replent mundum scan-  
 dalis, & spurij, sauciant, & in eternum exia-

tium præcipitant innumeras conscientias, & occasionem præbent infinitis cædibus infantum. Atq; hæc omnia non solum concedunt, sed etiam confirmant, dum iudicant capitale flagitium habere conjugem, & eam nominare uxorem: sed pollui nepharijs libidinibus, & uxores scorta uocare dicunt esse honorificum, & spurios natos ex scortatione, numerata pecunia, contra naturam legitimant (ut loquuntur) & legitimè natis exæquant, tantum ut ludibrio habeant conjugium.

Deniq; & in hoc non parum coniugio sancto iniurij sunt, dum liberis sine parentum consensu cõtrahere licitum esse uolunt, et alia præterea innumerabilia huius generis, ad coniugij contumeliam facientia, proferunt.

In his omnibus referimus nos, & prouocamus ad scripta utriusq; partis. Quæ de nobis diximus, ea extant in confessione Augustana, in scriptis reuerendorum uirorum D. Doctoris Martini Lutheri, D. Philippi Melanthonis, ac in alijs nostrorum pijs eruditjs, & sanctissimis libris. Quæ de illis diximus inuenies quoq; in ipsorum tum recentium, tum ueterum scriptis.

NUNC ut & ad alteram Ecclesiæ notam accedamus, diximus eam esse legitimum sacramentorum usum, & uerans de iisdem doctrinam.

NOB

Nos sanè ea, quæ de uero usu præcepta sunt, ita retinemus, ut Domini institutionem fideliter sequamur. Baptizamus infantes, homines, non campanas, & id in nomine Patris, & Filij, & spiritus sancti. Utimur cæna Domini integra, non sub altera, sed sub utraq; specie, iuxta mandatum Christi, sumentes. De numero, de causa finali, & applicatione, Ecclesiæ doctrinam suprâ recitatam, populo fideliter proponimus.

Hæc omnia in Papistico cœtu ita mutata uides, ut nihil cum Domini mandato conueniat.

Numerum sacramentorum, suo arbitrio, & scelerata audacia, sine mandato Christi, mutant, & plura quàm Christus instituit, fingunt, adeo ut etiam traditiones humanas, quales sunt, unctio, & confirmatio, inter sacrosancta sacramenta, à filio Dei instituta, recenseant.

De causa finali, & applicatione turpissimè errant. Non docent ea instituta ad excitandam, & confirmandam fidem, sed ualere etiam sine fide, ex opere operato, sine bono motu utentis. Ideo transferunt ea ad homines absentes & mortuos. Deniq; multas ridiculas, & idolatricas superstitiones assuunt, quibus sacratissima signa gratiæ polluunt & contumelia afficiunt.

Baptismum ineptis, & supersticiosis ceremo-

nijs, quas Christus, Apostoli, & uetus Ecclesia ignorarunt, deformant, & illas superstitiones a deo necessarias esse contendunt, ut nemo sine illis rectè baptizetur.

Deinde hoc sanctum lauacrum indignissimè contemnunt, dum equant ei sordidas traditiones humanas, monasticen, satisfactiones, indulgentias, aquam benedictam, salem, & similes nugas. Et audacissimè fingunt monasticen non minus abluere peccata, quàm ipsum Baptismum. Quæ sola contumelia baptismi, tanta est blasphemia, ut omnes p̄i execrabilem Papatū abominari debeant.

Præterea asseuerant lapsis fructum Baptismi prorsus perire, ideoq; alia noua media, tanquam baptismos infinitos, substituunt, ad abluendum peccatum.

Insuper nonnulli baptizant non solum in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti, iuxta institutionem Christi, sed etiam in nomine ceterorum sanctorum.

Ad hæc, transferunt hoc sacramentum ad creaturas mutas, campanas, cereos, ligna, lapides, &c. quæ prophanatio non obscure ostendit, eos hoc sacrosanctum lauacrum ludibrio habere.

De cæna

De cœna Domini multos tetros errores habent: Primum duplicem cœnam comminiscuntur, alteram sacerdotum, quibus integrum usum concedunt, alteram laicorum, quibus sacrilega impietate calicis usum, contra manifestam scripturam subtrahunt.

Deinde illum ipsum usum, unius speciei, (ut uocant) impiè peruertunt: alligant eum ad certum tempus, & exigunt tanquã opus operatum, propter consuetudinem, & obedientiam Ecclesiasticam, non ad confirmandam fidem. Panem consecratum in spectaculo circumgestant, more prorsus ethnico, quemadmodum Persæ olim suum Orimafda. Deinceps inclusum reponunt, & idolatrico more precipiunt adorari extra institutionem Christi. Sacrificulorum missam fingunt esse sacrificium propiciatorium pro uiuis, & mortuis. Imo turpissimam nundinationem, uendendis missis exercent, pro impetrandis certis bonis corporalibus. Que prophanatio tanta contumelia est cœnæ Domini, ut nulla mens cogitando assequi, nulla eloquentia satis deplorare possit. Sed Filius ipse Dei atrocitatem huius impietatis in extremo iudicio patefaciet. Et propter eam, haud dubie nunc per Turcicam tyrannidem, & alijs

*ingentibus cladibus mundum punit.*

*In tertia Ecclesie nota, nos uerum clauium u-  
sum retinemus. Peccatorum remissionem agenti-  
bus pœnitentiam annunciamus, non agentibus pœ-  
nitentiam, sed in manifestis sceleribus perseueran-  
tibus peccata retinemus, & eos ab Ecclesia seiun-  
gimus, ac tantisper pro publicanis, et abscissis mem-  
bris habemus, donec respiscant, & ad Ecclesiam  
redire cupiunt. Et transferimus hanc clauium po-  
testatem, ad ea, quæ uerè peccata sunt, ex lege di-  
uina, & scriptura manifesta.*

*Papisticus cœtus clauium potestate multis modis  
abutitur. Principio transfert eam ad stabiliendas  
omnes impias, & cum scriptura pugnantes tradi-  
tiones, quas uel ipsi excogitauerunt, uel à genti-  
bus acceptas, Ecclesie imposuerunt. Deinde facit  
peccata, quæ non sunt peccata, ut cum discrimina  
uestium, ciborum, dierum, & similium rerum,  
quarum usum scriptura liberum esse uoluit, consti-  
tuit, & ea sub excommunicationis pœna obser-  
uari mandat. Abutitur præterea clauium pote-  
state ad exercendam tyrannidem erga magistra-  
tus politicos, quos sibi tanquam propria mancipia  
subiectos esse uult, ut quidquid præceperint acci-  
pian, nec contra uel mutire ausint.*

*Si iuxta quartam Ecclesie notam nostram de  
inuocanda*

in uocatione doctrinam perpendes, uidebis rursus, nos cū uera Ecclesia per omnia consentire.

Contrā uero inuenies in Papistico cœtu etiam in hac parte multiplices errores. Non inuocant solum Deum, sicut præcipitur. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias: uerum etiam homines mortuos: atq; ita tribuunt honorem diuinū, & omnipotentiam creaturis, quæ est idolatria plus quàm ethnica.

Alligant Deum ad certas statuas, & reliquias mortuorum, ideoq; docent, & confirmant concursum ad statuas, affirmantes Deum ibi magis esse propiciū, magisq; exaudire quàm alibi.

Domino nostro Iesu Christo eripiunt honorem Mediatoris, & æterni sacerdotis, ac negant eum pro nobis intercedere, adiunguntq; illi alios non tantum intercessores, sed etiam opitulatores, & iubent eos inuocari, ut non solum pro nobis orēt, sed etiam certa beneficia conferant. Quæ in re longissimè superant idolatriam ethnicorum. Quanta autem hæc contumelia sit Domini, & mediatoris nostri Iesu Christi, dici non potest: in extremo iudicio apparebit, cum Filius Dei Sathanam autorem istius idolomanie, cum suis membris in æternos cruciatus abijciat, Ociosam recitationem hora-

rum canonicarum, & aliarum inanium precularum somniant esse cultum meritorium ex opere operato, etiamsi non fiat in spiritu & fide.

Deniq; cum deleant doctrinam de fide, & iubeant dubitare, re ipsa abolent omnem ueram inuocationem, & relinquunt fluctuantes conscientias in perpetua dubitatione an preces exaudiantur.

Non in nomine solius mediatoris Iesu Christi, sed in nomine sanctorum Petri, Pauli, Mariæ uirginis &c. esse petendum, & sanctos illos tanquam intercessores nostros apud Deū uenerari uolunt.

In quinta Ecclesie nota cognosces expleri in utraq; parte, quod dixit Dominus. Nos deprehendes esse illum cætum, qui propter nomen Iesu Christi, & uerbi eius confessionem, non propter scelera, persecutionem patimur. Ipsos uero esse hostes & persecutores nostros, qui omnibus modis nos suppressos & extinctos esse uolunt, qui nihil aliud quam sanguinem nostrum sitiunt, atq; iudeo quibus possunt artibus, mendacijs, & dolis potentiores huius mundi contra nos inflammant. Pro concilio, in quo, si erraremus, moneremur, ut ueritas doctrine patefieret, ipsi nobis bella offerunt, insidias mille ponunt, & omnia, que ad ueritatis suppressionem, & nostram perniciem prodesse uidentur, tentant.

Postremo



Postremo, sicut omnes hypocritæ solent, Caini  
 co, & parricidiali odio aduersus nos ardent, ita  
 ut multi non dubitent, propter confessionem do-  
 ctrinae, fratres suos trucidare, atq; omnibus modis  
 ostendunt, se imitari mores patris sui Diaboli,  
 qui & mendax est, & homicida. Et in his omni-  
 bus speciem sanctitatis præferunt, ut persuade-  
 ant scilicet, omnibus, se præstare cultum Deo,  
 dum ita erga nos seuiunt, & omnem tyrannidem  
 crudelissimè exercent.

Ad sextam deniq; Ecclesie notam, si nos lector  
 conferet, inueniet certè nihil nobis potius, aut pri-  
 us uideri, quàm ut ministerio suus honos constet,  
 & obedientia debita præstetur. Sumus in hoc oc-  
 cupatissimi, ut uera doctrina patefiat, ut unitas fi-  
 dei, inuocatiõis, & confessionis crescat, & conser-  
 etur. In ijs quæ extra uerbũ Dei humano consilio  
 uinstituta sunt, tenemus libertatẽ uobis à Christo  
 cõcessam, nec cõcedimus alijs, ut in hac parte ne-  
 cessitatẽ aliq; nobis talẽ imponant, qua uel gloria  
 Dei obscuretur uel conscientijs laqueus inijciatur.

E contra pontificia turba, quod in nobis accu-  
 sat ipsa facit: secessit enim à uera Christi, & Apo-  
 stolorum Ecclesia, ac quanquam titulum ecclesie  
 & ordinariæ successionis teneat: tamẽ illa potesta-  
 te tantũ ad tyrãnidẽ abutitur. Requirit obediẽtiã

non solum in ijs, quæ ad uerum ministerium perti-  
nent, sed etiam in sectanda idolatria, & manifestè  
impijs edictis, quemadmodum Nabuchodonosor  
præcipiebat in adoranda aurea statua sibi obtem-  
perari. Constituit unitatem Ecclesie, non in con-  
iunctione fidei, inuocationis &c. sed in necessa-  
ria conformitate ceremoniarum. Et in hoc ma-  
ximè incumbit, ut pariter omnes superstitiones,  
ceremonie, & ritus, ueteres, & noui retinean-  
tur, ut sit in omnibus conformitas, & addunt ta-  
lem necessitatem, quòd sine salutis dispendio hæc  
uiolari nequeant.

Ipsi excitant schismata, quia nolunt cedere ue-  
ritati, & dimicant non pro gloria Dei, & utilita-  
te Ecclesie, sed pro sua potentia, & suauis ocio.

Interim uero, quod iure diuino mandatum, ut  
fidei, inuocationis, & ueræ doctrine unitas conser-  
uetur, & à Christo ipso constitutum est, ne scilicet  
sacramentis suis aliter utamur, quàm ipse manda-  
uit nobis, Hæc omnia, uel ipsi nihili faciunt, uel  
prorsus aboleuerunt, aut pro sua libidine & auda-  
cia mutauerunt.

Quum hæc manifesta, & ipsa luce meridiana  
clariora, omnibusque notissima sint, uide queso  
Christiane & pie Lector, qualis uel Osij, uel simi-  
lium gloriatio sit, qui se catholicos, & Romananos

sua

suam Ecclesiam, qualis ea nunc est, pro uera catholica Christi Ecclesia omnibus obtrudunt. Vide quæso & considera, qualis sit hæc, non dico impudentia, sed tyrannis prorsus Sathanica, quod omnes, qui ipsos pro catholicis, & Romanam Ecclesiam pro uera Ecclesia Christi agnoscere non possunt, omnibus diris deuouent, ferro, & igni persequuntur.

Ceterum cum omnes suas quantumuis idolatricas, & impias constitutiones, atq; mutationes, hoc uno fucopallient, atq; defendant, quod Dominus Ecclesie sue hoc ius concesserit, ut ex spiritus sancti gubernatione, quæ uideantur necessaria, cognoscat, & ordinet, siquidem ipse omnia, propter apostolorum infirmitatem, qui multa, quæ illis dicere habebat, portare non potuerunt, ordinare non potuit, ut in Ioanne ca. 16. dicitur, necesse est ut hic pauca de uera Ecclesie potestate ex sacra scriptura subiiciamus.

## De Potestate ET AVTORITATE Ecclesie.

**S**icut antea monuimus Ecclesiam longissimè ab imperijs mundanis distinctã esse, nec quidquam illis simile habere: ita & hic sentiendum est, potestatem Ecclesiasticam à politica diuersam esse. Hæc quidem circa ea uersatur, quæ ad gubernationem rerum corporalium spectant, & gladio, atq; ui externa inobedientes cohercet, illa autem in ijs consistit, quæ ad regnum Christi spirituale, in hoc mundo existens, pertinent, ac suos uerbo, & gladio spiritus sine armis, & ui externa regit. Ac ut lectori rudiori omnia clarius proponamus, singula quæ ad Ecclesiæ autoritatem referuntur per partes recitabimus.

Primo Ecclesiæ potestas consistit in prædicatione uerbi, non quidem cuiuslibet, sed illius, quod Dominus noster Iesus Christus, Rex & caput Ecclesiæ prædicare iussit. Sic enim inquit, Docentes eos seruare **OMNIA QVAECVNQVE MANDAVI VOBIS.** Duo dicit, iubet docere, non ui externa compellere, & politico more imperare. Et hanc se Apostolis suis, & post, uel cum illis Ecclesiæ suæ potestatem, & autoritatem concedere affirmat, ut doceat, ut prædicet, ut uoce regat, et erudiat. Deinde addit, quid docendum sit, non quod sibi quisq; confingit, non quod alij præceperunt, sed quaecunq; ipse mandauit. Sed

quid

quid ille mandauit? Respondetur Marci 16. Euntes in mundum uniuersum predicate Euangelion omni creaturae. Et Lucae ultimo: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, et resurgere à mortuis tertia die, & predicari in nomine eius poenitentiam, & remissionem peccatorum in oēs gentes &c. Et hoc quidem Euangelion, quod predicare iubet, est & antea à sanctis Prophetis predicatum. Vnde Apostolus ait Rom. 1. Segregatus in euangelio dei, quod antea promiserat per Prophetas suos, in scripturis sanctis de filio suo. Sicut et Petrus 2 Pet. 1. se habere sermonem propheticum testatur.

Porro ad potestatem predicationis Euangelij Christi, fundati in sanctorum prophetarum scriptis, refertur quoque iudicium de doctrina, ut ecclesia cognoscat, quae uera, & quae falsa sit, quae scriptis prophetarum, & Apostolorum consentiat, quae repugnet: ut ueram amplectatur, falsam reiciat, & fugiat. Vnde à Christo mandatum accepit, Matth. 7. Attendite à falsis Prophetis. 1. Thessal. 5. Omnia probate, quod bonum est tenete. 1. Ioan. 4. Carissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint. 1. Cor. 14. Prophetae duo aut tres dicant, & ceteri iudicent.

Deinde consistit Ecclesiae potestas in re sua san-

cramentorum administratione, & quidem eorum, quæ à Domino sunt instituta, & ordinata, in quibus & ordo, & mandatum Domini seruandum est, non sunt admittenda nouationes, & mutationes nostro arbitrio. Sic iubet Dominus Baptizare, in nomine Patris, & Filij, & spiritus sancti, Et sic Apostoli baptizauerunt, & Domini mandatum religiosè obseruauerunt. Sic iussit cœnam suam integram, omnibus sumentibus eam, porrigere. Et testatur Paulus, se hoc Domini mandatum sequutum esse, & ita tradidisse Corinthijs suis cœnæ usum, quemadmodum ille eum à Domino acceperat. Quem morem & primitiua Ecclesia longo tempore post Apostolorum decessionem, diligentissimè sequuta est, integrè utendo cœna: nec possunt huius tam audacissimæ, & sacrilegæ mutationis autores certi nominari.

Tertio loco ad Ecclesiæ potestatem pertinet legitimus clauium usus: ex harum munere Ecclesia pœnitentibus remissionem peccatorum annunciat, conscientias perterrefactas, & afflictas consolatur, & erigit, errantes in Ecclesiæ gregem reducit & recipit. Rursus impœnitentes excludit, maliciosos, & contumaces perterrefacit, coarguit, & inclamat. Et hæc ex Domini permissione facit. Accipite, inquit, spiritum sanctum: quorum remiseris

miseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Et, Si peccauerit in te frater tuus, uade & corripe eum inter te, & ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum: Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, uel duos, ut in ore duorum uel trium testium stet omne uerbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus. Amen dico uobis: quaecunque alligaueritis super terram, erunt ligata in caelo: & quaecunq; solueritis super terram, erunt soluta in caelo. Et haec clauium potestas, longius non extenditur, quam sicut iam dictum est. Non est permissum Ecclesiae, & ministris eius, sub clauium praetextu, dominium mundanum quaerere, aut peccata constituere, quae peccata non sunt, sicut haecenus in papatu factum esse constat, & nos quoque pauca de eo abusu supra commemorauimus.

Ad haec omnia accedit quartum, quod Ecclesia habet potestatem eligendi, uocandi, & ordinandi ministros, & doctores idoneos. Qui quales esse debeant, Apostolus docet, hunc Ecclesiae canonem relinquens, 1. ad Timoth. 3. Fidelis sermo, Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Oportet enim episcopum irreprehensibilem esse,

H

114      RESPONSION. I. PARS,

uiri uxoris uirum, sobrium, ornatum, prudentem, pudicum, hospitalem, doctorem, non uinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, sed suae domui bene praepositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autem domui suae bene praesse nescit, quomodo Ecclesiae Dei diligentiam habebit? Non neophytum, ne in superbiam elatus, in iudicium incidat Diaboli. Oportet autem & illum testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum Diaboli. Hinc Acto. 1 legimus, Petrum ex scripturis loquentem, suadere ut in locum proditoris Iudae alius subrogaretur, eo nimirum facto declarans, habere Ecclesiam hanc potestatem diuinitus concessam, ut eligat doctores idoneos. Acto: 6. Ecclesia ex Petri, & Apostolorum uoluntate diaconos constituit. Acto. 13. Ecclesia Antiochena Spiritu sancto instructa Paulum, & Barnabam, licet antea ad ministerium destinati essent, ordinat, & mittit.

Extant & alibi in Actis apostolorum exempla, quae testantur Ecclesias apostolis iubentibus, quoties res postulauit, idoneos doctores delegisse, & ministerio praefecisse. Vnde manifestum est, quod dicere cepimus, licere, et Ecclesiae concessum hoc ius,



hoc ius, ut doctores, Episcopos, & alios ministros eligat, uocet, ordinet, & officio docendi præficiat.

Per hos autem ministros, quos Ecclesia uocat, & ministerio præficit, hæc quæ diximus exequitur: *Ci rectè doceri, iudicat de doctrina, dispensat sacramenta, & clauibus legitime utitur. Et quatenus hæc, ministri illi uocati, & ab Ecclesia ad gubernacula euecti, rectè, & fideliter tractant, in proprio officij sui munere uersantur, Tunc & illis obedientia debetur, & peccatū grauißimum est, cõtumaciter sese illis opponere, ipsos contemnere, & auctoritatem eorum defugere. Et significat Dominus, se istiusmodi contẽptus, & contumacia uindicem futurū esse. Huc ergo proprie dicta illa grauißima referenda sunt: Qui uos audit, me audit, qui uos spernit, me spernit. Item: Obedite præpositis uestris, & similia.*

Quòd autem & ceremonias, & ritus quosdam publici ordinis, & commodi causa, ordinare & præscribere solent Ecclesiæ ministri, sicut et ab Apostolis aliquando factum esse legimus, hoc totum eo fine fieri debet, ut omnia decenter & ordine fiant. Non autem debent talibus constitutionibus conscientijs laquei iniici: nõ est talis necessitas inducenda, ut sub pœna ana-

thematis, & peccati mortalis illarum observatio imperetur. Sicut enim adiaphora esse debent, sine necessitati cedere possunt. nec tamen illorum petulantia probatur, qui absque caritatis respectu, quaelibet sine necessitate perumpunt bene constituta, & non pugnantia cum uerbo, cum maiori rursus offensione, transgrediuntur & mutant.

Et tantum quidem ex sacra scriptura de Ecclesia, & eius ministrorum potestate, & autoritate uerè dici potest. quicquid ulterius additur, fit ex humana autoritate, & consilio, sine scripturarum approbatione.

Vnde falsissima esse necesse est, quæ à multis magno cum tumultu asseruntur. Quòd nimirum Ecclesia habeat potestatem super omnes scripturas. Quod, si de iudicio, quod Ecclesia concessum esse diximus, intelligas, non repugnabimus. Debet enim Ecclesia de doctrina cognoscere & iudicare. Sed extra, uel contra illam nequaquam, uel constituuere, uel constituta probare. Ita & impiissimum est dicere, Concilijs, aut alijs ullis hominibus concessum esse, novos articulos fidei condere, aut contra scripturam in articulis fidei aliquid admiscere. Multò minus decet concilia, ritus, & sacramenta à Domino accepta, & constituta, mutare.

Et docent exempla, Concilia errasse, si quando  
extra

extra scripturas, de dogmatibus statuerunt. Sicut eadem ab alijs sequentibus concilijs reiecta, & mutata sunt. Nec putemus piaculum esse, dicere, quod Concilia errare possunt. Quod enim dicitur Spiritu sancto doctore decernere concilia, id eò intelligendum est, quatenus illa scripturis inniuntur, in quibus Spiritus sanctus loquitur, quas illustrat, & declarat, & hæc quæ Dominus ipse loquutus est, in memoriam reuocat.

Et huc pertinent quæ Dominus dicit: Ipse ducet uos in omnem ueritatem. Quæ autem poterit esse ueritas, quæ uel sanctorum Prophetarum oraculis, uel ipsius Christi, & Apostolorum eius, uerbis repugnabit? Itaq; subiicit qualia futura sint, quæ Spiritus ille ueritatis adferet. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet loquetur, & quæ uentura sunt annuntiabit uobis. Ille **ME GLO RIFICABIT**, quia de meo accipiet & annuntiabit uobis.

RESPON  
sionis ad calum  
NIAS OSII SECVN  
DA PARS.



**H**IS ita ex communi scripturarum atq; eodem constantissimo consensu, simplicissimo orationis filo, premisis, in quibus et summa negotij, et totius rei cardo uersatur: accedendum nunc quoque nobis est, ad calumnias Osij, quibus non solum Elbingenses petit, sed omnes alios, qui doctrinam Euangelij amplectuntur, et ab ipsorum Ecclesia secessionem fecerunt, laceffit et onerat.

Quatuor autem sunt, ni fallor, ut supra quoque monuimus, capita, in quibus tota eius accusatio consistit. Primum est, quod Elbingenses schismatis accusat, et cum illis omnes, qui ab Ecclesia Romana noua, seiuncti esse uolunt, schismaticos esse criminatur.

eriminatur. Secundum, q̄ flagitent sibi permitti  
 prædicationē Euangeliū, quod ille Lutheranū, &  
 impurum uocat, & multis alijs cōuicijs exagitat.  
 Tertium, quòd arrogant sibi de doctrina iudictū,  
 quòd ad nullos alios homines, præterquam ad ip-  
 sum, & reliquos sui similes Episcopos, Romano  
 Pontifici iuratos, & ad ipsorū concilia pertineat.  
 Quartum deniq; accusationis caput in eo cōsumi-  
 tur, q̄ indignissimè fert, Elbingenses, & reliquos  
 Lutheranos integra cæna Domini uti. Siquidem  
 hoc fiat cōtra consuetudinem suæ Ecclesiæ Roma-  
 ne, & sit tanti momēti, ut nisi Elbingenses ab eo  
 desistant, se cū illis nec posse, nec uelle cōmunica-  
 re, nec ipsos pro ouibus suis agnoscere. Imo uerò,  
 se habiturum eos pro excommunicatis, & mem-  
 bris ab Ecclesiā abscissis.

Hæc oīa Ostius, quanta potest orationis acerbū-  
 tate proponit, & in eo omnes ingenij uires expe-  
 ritur, ac recōditissimos quosq; sciētiae suæ thesau-  
 ros explicat. Verūm hæc uia rem agit. Principio  
 more prorsus lupino incedens, pellem illā ouinā,  
 ueritatis nēpe assertionem, & curā pastoralem  
 propter oues anxiam, suis illis simulatis, & hypoeri-  
 ticus querimōijs egregiè superinduit. Postea om-  
 nis generis speciosa quedam, & ad uulgus im-  
 peritum plausibilia mendacia conuehit, quibus

nostræ, & ueræ causæ inuidiam, suæ autem fidem  
facere attentat. His porro orationis splendorem  
addit. Nam ut in omnibus suis scriptis eloquentiæ  
laudem affectat, & à suis asseclis Ciceroniani co-  
gnomentum audire gaudet, ita & hic quanta po-  
test orationis uarietate rhetoricatur, ut uel sic  
ueritati illudere, simplicioribus imponere, & fu-  
co aliquo oculos fascinare possit. Hoc præclarum  
est illud, & totum Osij artificium. Ut autem scri-  
pturis pugnet, & sua confirmet, ubi opus erat,  
diligētissimè cauit, nisi quòd interdum ibi scriptu-  
ras adducit ubi nemo repugnat.

Nos uero ad recitata accusationis Osianæ  
quatuor illa capita, simpliciter, & ordine respon-  
debimus.

## Responsio Ad PRIMUM ACCU- sationis Caput.

**A**d primum accusationis caput dicimus  
suprà satis ostēsum esse, quæ sit uera Chri-  
sti Ecclesia, & qui cætus, nostræne an pa-  
pisticus

pisticus ipsorum, propius ad eam accedat: Cum ergo manifestum sit, non nos, sed ipsos, longissimè à ueræ Ecclesiæ descriptione, & notis abesse, debebat Osius potius se, cum suis, quàm nos, non solum schismatis, sed fœdissimæ etiam defectionis à Christo, & ipsius uerbo, accusare, & agnoscere, cum Christi non sint Ecclesia, ipsos esse oportere Antichristi malignantium illam Ecclesiam, de qua Prophetæ, Christus, & Apostoli concionantur, & eam nouissimis temporibus immaniter in innocentia Christi membra grassaturam esse prædicunt.

Vt autem à tali ipsorum Ecclesia, & congregatione Antichristiana secederemus, duo nos compulerunt. Primò mandatum diuinum, quod iubet ut caueamus à falsis Prophetis, Matth. 7. ne audiamus uocem alienorum. Iohan: 10. ne iugum ducamus cum infidelibus, sed exeamus de medio ipsorum, & separemur ab ijs. 2 Corinth: 6. Vt saluemur à generatione praua Acto: 2. ut fugiamus de niq; idolatriam: 1 Ioh. 5.

Deinde mouit nos exemplum Iohannis Baptista, exemplum Christi, & Apostolorum ipsius, ut idem faceremus. Nam & Ioannes Baptista, Christus, & Apostoli, secesserunt ab Ecclesia Scribarum, & Phariseorum, & illius populi, qui sibi

titulum Ecclesie Dei ascribemat, qui in cathedra Mosi sedebat, & cœtus audiendus esse uidebatur.

Pecerunt idem etiam sancti propheta. Esaias secessit à summo pontifice Vria, & rege Achaz: cum templum Domini clauderet, & legitimum ministerium impediret. Est & in hac re Hieremie exemplum ualde illustre secedentis, & punientis idolatriam, & impietatem totius populi suo tempore.

Alij Propheta, quos Dominus mittebat, secesserunt à Manasse, & populo sequente illius impietatem, & defectionem. Legimus & alias historias his prorsus consimiles, de Amos, & illis prophetis qui temporibus Ieroboam, & impij Achab fuerunt, subducentibus sese ab impiorum idolatria, & Baalitico cultu.

Quare & nos moti mandato Dei uniuersali, quod uehementius urget, quàm illæ singulares uocationes, atq; exempla Christi, Apostolorum, Baptistæ, & prophetarum, cogimur nunc à papistico cœtu secedere: licet ille sese omnibus istis prætextibus & plumis, quibus pharisaicus olim insignis erat, exornet & contegat.

Responsio



# Responsio ad SECUNDAM AC- cusationem.

**S**ecundum accusationis caput, ut diximus, illud est, quod Elbingensibus, qui Euangelij puri prædicationem sibi à rege suo concedi petierunt, grauissimè succenset Osius. Et petitionem illam ad suam imprimis contumeliam spectare ostendit, qui sit & ipsorum Episcopus, & puri Euangelij cursum impedire minime uelit. Cæterum hoc Euangelium quod Elbingenses intelligant Lutheranum esse, impurum item & falsum affirmat. Adfert autè suæ affirmationis has probationes.

Primo quòd Euangelion Lutheranorū sit uarium, & quotannis ferè mutetur. Secundo, quòd cū illo multæ sectæ sint exortæ. Tertio, quòd Ecclesias uacuas sacerdotibus reddiderit. Quarto quòd fuerit causa schismatis, & soluerit concordie uinculum. Quinto, quòd ex odio, & cōmercio Sathane sit prolatum à Luthero. Ex his (infert Osius) cuius patere, tale Lutheranorum Euangelion, nec purum, nec salutare esse posse.

Ad hæc rursus Osio respōdemus q̄ simplicissimè.

Ac primum ad ipsius probationes omnes in genere dicimus: eas esse calumnias meras, & ex odio atq; furore Sathanico confictas nugas. Deinde in specie de singulis hoc addimus.

Primo, Euangelion hoc, quod Lutherus ex scriptis Prophetarum & Apostolorum certo, & constanti spiritu docuit, & quod nostræ Ecclesiæ amplectuntur, esse omnino cōstans, sibi consentiens, & semper idem. Suprà .n. ostēdimus illā ipsam doctrinā, quam nos hactenus cū Luthero professi sumus, esse consensum catholicum Ecclesiæ Christi, à primorum parentum temporibus, ad nos usq; translatum. Extitit præterea iam multis annis Confessio Augustana, in qua huius Euangelij, & totius nostræ doctrinæ summa, fideliter, & perspicuè recitata est: Ea nec mutata est, ab eo tempore, quo primum edita fuit, nec in posterum à pijs, & ueritatem amplectentibus mutabitur unquam.

Sed uide Lector, quanta sit Sathane in suo Ocio malicia. Ille hoc uocat uarium, quòd eadem doctrina progressu temporis magis ac magis illustrata est, quodq; ea, quæ in initio uel non poterunt simul dici, uel non satis explicatè dicta sunt, postea cū accessit ocium, lectio frequentior, cogitandi spaciū, incrementa spiritus, & iudiciū exactius.

exactius, sunt repetita, clarius exposita, & pluribus scripturae sacrae testimonijs cōmunita. Quod & nunc à pijs & eruditis uiris fieri solet, qui eadem doctrinae capita alio, atq; alio modo repetunt, de xterius explicant, & scripturis illustrāt, eodem tamen semper fundamento, & regula fidei manente.

Si uero hoc uarium, & falsum uocandum est, quod nunc breuius, nunc prolixius, nunc obscurius, nunc clarius effertur, redundabit sanè hoc conuicium etiam ad ipsa sacra Biblia. Nam, & in illis unum & idem Euangelion, nunc paucis, nunc multis uerbis, nunc obscurius, nunc clarius proponitur. Exemplo sit prima illa in paradiso, de semine mulieris conculcante caput Draconis facta promissio. An non illa postea ad Abrahamū multò clarius repetitur? an non eadem deinceps per prophetas, additis circumstantijs de tempore & loco natiuitatis, de matre uirgine, & alijs sub inde magis ac magis illustratur?

Et quid in Luthero calumniari audet Osius, quòd ille in principio sui negocij non omnia satis intellexit, quòd papa, & ipsius defensoribus plurima concessit, quae postea lectione scripturarū, & fidei regula adhibita reuocauit: & ueriores de ijs scripturarum sententiam exposuit: hoc ille

in Augustino, qui & ipse retractationum libros scripsit, & ea quæ nō recte dixerat mutauit, summe approbat, dextrè interpretatur, & laudibus ad cælum usque euehit.

Aut cur non Pauli doctrinam eodem modo calumniatur, qui aute conuersionem hostis Euangelij Iesu Christi fuit?

Quis etiã non uidet, quanti laboris, quanti periculi, et quãtæ difficultatis opus fuerit, ex densissimis errorũ tenebris, & perplexissimis sophistarũ labyrinthis simplicẽ ueritatis doctrinam liberare, & oĩa ad nativã scripturæ sententiã reducere: tot sese præsertim tyrannis & sophistis uni Luthero opponentibus, et in hoc conspirantibus, ut salua esset omnium quauentumuis crassissimorũ errorum autoritas? Quòd si in tali rerum facie & statu non omnia simul, & uno quasi impetu rectè destructæ, & reedificata sunt, quis mirabitur? quis non potius Lutheri sanctissimos conatus, & studium dextrè accipiet, quàm ut ea ex primorũ euentuũ ratione, quæ postea rectissimè sequuta sunt, calumnianda esse censeat?

Quod uerò secundo loco dicit, Euangelion quod Lutherus docuit, ideo impurum haberi de re, quòd sub illius prædicatione sectæ aliquot exorta sunt, puerile est, ineptum, uixq; dignum re-  
sponzione

sponse ulla. Cur enim non & sic argumenta-  
 tur Osius: Cum Ioannes Baptista, & Christus præ-  
 dicauerunt Euangelion, fuerunt sectæ Essæorum  
 & Saduceorum. Cum Apostoli docuerunt, exor-  
 ti sunt, qui se Nazareos uocauerunt. Iohannis  
 Euangelistæ temporibus surrexit Cberintus, Ebe-  
 on, & alij: & paulo post Arrius quoque prodijt.  
 Augustini tēpore Pelagiani & Valētiniani &c.  
 Ergo Euangelion quod prædicauerunt Iohannes  
 Baptista, Christus, Apostoli, Iohannes Euangeli-  
 sta, Augustinus &c. impurum est. Vsitatum hoc  
 est Sathana, ut & ille suos excitet, & mittat apo-  
 stolos, qui sectas colligant, & enascentem uerita-  
 tem oppugnent, & supprimere tentent. Nouit e-  
 nim & illud quod suadet poeta: Principijs obsta  
 &c. Verū nota est, de talibus, apostoli regula:  
 Ex nobis prodierunt, sed nō erant ex nobis. Nā si  
 fuissent ex nobis, permāsissent utiq; nobiscū. Si er-  
 go uel Carlstadius, uel Zuinglius, uel Monetarius  
 uel nuper adeo Osiander, uel alij quicūq; à Luthe-  
 ro discesserūt, et nouū doctrina genus proposue-  
 rūt, ipso factō declarauerūt, q̄ à uera Lutheri, &  
 Ecclesiarū nostrarū doctrina alieni fuerūt, et ad  
 ueritatis obscuratiōē excitati et missi Apostoli.

De tertio, q̄ ait Sacerdotibus uacuas reddi  
 Ecclesias per Euāgelij prædicatiōē, sic intelligat

Lector, uerum esse, quòd reuelato Euangelio, & detecta idolatria, quæ est in ipsorum missis, & alijs impijs cultibus, multi boni uiri, quibus pluris fuit conscientia bona, quàm opulentum illud, sed impium uitæ genus, illum missificandi, sacrificandi, & in templis assiduam boandi morem deseruerunt, ueram doctrinam, et uitæ genus magis pium amplexi sunt. Quòd autem ijdem non admittuntur, ut in illis templis, in quibus antea nescientes Sathanæ seruiuerunt, nunc uero scientes & rectè Deo seruiant, & puram Euangelij doctrinam proponant populo, per ipsorum efficiatur seruiam, qui tales ferro & igni persequuntur, & hac tyrannide ipsi uastant Ecclesias, & miseris Christi ouiculas pabulo salutari, quod est uerbum ipsius, crudeliter defraudant.

Deinde uastitas Ecclesiarum, ociosorum pseudoepiscoporum ignauitæ imputanda est, qui scholas, & doctrinæ studia negligunt, nec curant rectè educari, & erudiri iuentutem, unde semina ria Ecclesiæ, & ministri idonei sumi poterant. Sed bona Ecclesiastica, quæ ad hos usus conferri debebant, uelut fuci absumunt, & ignauitæ ocio, alendis scortis, & equis, & augenda ciuili potentia, ac dignitate. Ac imprimis Osius, qui uelut Episcopus debebat curam scholarum suscipere, dicitur

dicatur ludos literarios, qui antea fuerunt frequen-  
tissimi, & adhuc possent egregie constitui, sua ser-  
uicia uastare, tanquam hostis ueritatis & doctri-  
nae. Eccontra, Dei beneficio apud nos scholae, & stu-  
dia linguarum, & doctrinarum feruent, & medi-  
ocriter suppetunt idonei homines, qui ministerio  
praefici possunt.

Eandem responsionem, ad quartam eius calum-  
niam adferimus, ubi ex Euangelij praedicatione  
schisma, & concordiae perturbatiōem sequuta es-  
se ait. Ipsorum hoc totum imputandum est maliciae,  
qui ueri ac puri Euangelij praedicationem non ad-  
mittere uolunt: qui sanam doctrinam Christi am-  
plectentes, & profitentes, omni genere crude-  
litatis insectantur, à synagogis suis excludunt,  
calumniantur, execrantur, diris deuouent, fini-  
bus eijciunt, trucidant deniq;. Non secus atq; olim  
pharisaeorum, & scribarum synagoga sanctis Chri-  
sti apostolis fecit, & idem euenturum esse omni-  
bus pijs, & ipsum confitentibus Saluator ipse pra-  
dixit. Et quid mirum est, si ille, qui haecenus atri-  
um in pace custodiuit, & in papatu suo omnia trā-  
quilla tenuit, nunc cum fortior eo superuenerit,  
& armaturam eius auferat, ita reluctari, & tur-  
bare incipiat, ut omnis generis motus excitet, quo  
& se, & sua defendat, & aduersario suo, qua po-

test, & licet uia molestus sit.

Quintam autem Osi calumniã in eum ipsum, qui eam adduxit reijcimus. Nam cum constet ex his quæ supra diximus, illud Euangelion, quod Lutherus docuit, esse uerum Christi Euangelion, res ipsa testabitur, quo doctore, & ex quo spiritu Lutherus sua protulerit.

Quod autem Lutherus de periculosis & grauißimis Sathanae têtationibus (quibus ille sanctissimos quosq; adoriri solet) dicit, & de eius erga se malicia conqueritur, hoc te Osi impÿßime, tuus ille præceptor, qui mendaciorum & homicidij pater est, ita inuertere docuit, ut Lutherum, cum de Sathanae grauibus tentationibus loquitur (quas tu proprium eius mæcipium, ocio epicureo diffluens, prorsus ignoras) fateri dicas, quòd ex Sathanae instinctu scripserit & protulerit sua.

Vide ergo quo tu spiritu agiteris, & ex cuius instinctu tam horrendas ueræ doctrinae blasphemias proferas. Vide, inquam, cui tu tuum impudentissimum illud os accommodes, quòd homines insontes, ipsaq; Dei uiuentis organa, tam proteruè calūniari & proscindere audet. In hoc tu laboras anxie, ne uel cæcus, uel impius uidearis. Sed hic uides te utrunq; esse. Utinam & non contra conscientiam tuam ita malitiosè induratus, ut ueri

Dei



Dei hostis mancas, & miserrimo tandem exitu  
perdaris.

# Responsio ad TERTIAM AC- cusationem.

**I**N tertio accusationis capite iactat Osius do-  
ctrinæ iudicium pertinere ad se, & sui ordinis  
Episcopos: & ideo nec Elbingenses, nec alios  
Lutheranos de ea sibi iudicium rectè & legitime  
sumere. Sophismata quibus hoc probare conatur  
hæc ferè sunt.

Primum. Non esse quorumuis de fece vulgi iu-  
dicare de doctrinæ puritate. Secundum. Soli Ec-  
clesiæ esse datam lucem intelligentiæ sanæ. Ter-  
tium. Dados esse, alios quidem prophetas, alios  
apostolos, &c. Ergo iudicium doctrinæ tantum  
pertinere ad se, tanquam Episcopum legitimum,  
& apostolorū successorem, atq; ad suū cætum, qui  
sit solus Ecclesiā vera. Lutheranos aut nec posse,  
nec debere de doctrina iudicare, Vel quia sunt  
pauci, & laici de fece vulgi, ac ab hoc cætu a-  
lieni: Vel quia ex affectibus, & arrogantia,

atque superbia omnia agunt, se enim solos intel-  
ligentes, ceteros omnes, in toto terrarum orbe  
cecos esse affirmant.

Responsio.

Si ea, quæ de Ecclesia, & eius potestate dixi-  
mus huc adferet Lector, quid ad hæc Osij sophi-  
smata respondendum sit, facilius uidebit.

Non enim negamus iudicium de doctrina, &  
lucem intelligentiæ sanæ soli ecclesiæ esse cõcessa,  
sed ueræ, sed toti Ecclesiæ, sed iudicanti ex uerbo.

Nec negamus eum ordinem in Ecclesia esse de-  
bere, ut alij sint prophetae, alij apostoli &c. Item  
ut alij præsent, & doceant, ceteri uero sedeant,  
obtemperent, & audiant. Sed addimus ueros apo-  
stolos & prophetas, sinceros & pios doctores,  
uerã Christi, prophetarũ, & apostolorum uocẽ so-  
nantibus esse audiendos, amandos, uenerandos.

Sed quid hoc ad Osium, & suum illum papisti-  
cum cætum pertinet? Si ostendimus antè, ipsos  
non Christi ueram, sed ipsius Antichristi malignã  
tium Ecclesiã esse, num & illos adhuc audiemus?  
num amplius nos ab illis seduci patiemur?

An autem Lutherani, propterea quòd pauci  
sunt, & à papistico cætus alieni, non sint ueræ Ec-  
clesiæ membra, nec possint, aut debeant de doctri-  
na iudicare, cum tamen demonstratum sit, eos ue-

ram

ram doctrinā sonare, facile qui uolet, intelligere poterit, Et illam de arrogantia calumniam, non magni faciet. Ex eo enim spiritu prouenit, qui supra etiam ex instinctu Satanae Lutherum scripsisse malitiosè mentitus est.

Sed hoc fortassis desiderat Osius, ut ostendamus ad singula Ecclesiae membra iudicium de doctrina pertinere, & Laicos item posse in concilijs ad sententias dicendas admitti. Quanquam longior de hac re disputatio moueri possit fortasse, tamen nunc pauca attingemus.

Si iudicium de doctrina ad uniuersam Ecclesiam pertinet, sicut hoc omnino concedere necesse est, non uideo qua ratione possit aliquibus, aut singulis, qui sunt Ecclesiae membra, & idonei ac sani homines, iudicandi, & sententiae dicendae libertas adimi. Omnibus & singulis dicitur: Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor ego eum coram patre meo, qui in caelis est. Si omnium & singulorum est confessio uerae doctrinae, & Christi, cur non & omnium sit cognitio & iudicium?

Item omnibus & singulis dicitur: Attendite à falsis prophetis. Quomodo autem attendent, & cauebunt, si de ijs & doctrina eorum iudicare nō licebit? Et ualde ridiculum est, quòd Osius in quo

dam loco stomachatur, quod quidam ex Elbingen-  
sibus dixerat, se oportere suae salutis rationem ha-  
bere: quod ille ita accipit, & calumniatur, quasi  
hoc modo omnis episcoporum cura, & ordo in Ec-  
clesia tollatur. Manet equidem Ecclesiasticus or-  
do, & sua cuiq; praeposito relinquatur dignitas, e-  
tiam si quisq; qd, & cui credat, diligenter circūspi-  
ciat, nec patiatur se quouis doctrinae ueto circum-  
agi. Propria, nō aliena fide saluamur. iuxta illud,  
Fides T V A te saluam fecit.

Cur quæso in apostolorū actis laudatur Thes-  
salonicensium diligentia, qui audientes concio-  
nes Pauli, quotidie scrutati sunt scripturas, an om-  
nia ita se haberent, sicut Paulus dicebat, si nō licet  
etiam auditoribus de suorum episcoporum doctri-  
na inquirere, & suae ita salutis rationem habere.

Cum tempore Apostolorū, de circumcisione,  
& legis obseruatione, controuersia incidisset, &  
Paulo atq; Barnaba Hierosolymam uenientibus,  
concilium cogeretur, mirum est, si istic ab eo con-  
cilio omnes laici sunt exclusi. At dicit textus, con-  
gregatos fuisse non solum Apostolos, & seniores,  
sed Ecclesiam totam, & in ea factam esse conqui-  
sitionem magnam. Si apostolis & senioribus solis  
(qui tamen & ipsi ex laicis esse censentur) dicen-  
dae sententiae potestas concessa fuit: cur additur de  
reliqua

reliqua Ecclesia, & nominatim dicitur, in illa conquisitionem magnam factam esse?

Tyrannicum ergo fuerit, & cōtra uerorū conciliorum morem, iudiciū de doctrina ab uniuersa Ecclesia, quæ & Sacerdotes, & laicos complectitur, & à singulis eius membris ad paucos quosdā trāsferre, & illis tantū iuris attribuere, ut ex suo arbitrio statuant quid uelint uel extra scripturā, uel etiā cōtra manifestā scripturam. Sicut hoc alē quot tēporibus à Papa & suo cœtu factitatū est: & nunc, ut ita fiat, summa cōtentione laboratur. Frustra equidē apostolus 1 Cor. 14. eum qui sedet esse audiēdum diceret, si quid ei reuelatum sit, si laicis prorsus in concilijs silentium imponi debet. Qui enim sedent, ex auditoribus & laicis sunt. Et laudatur merito illud Panormitani, qui uni laico scripturam adferenti, plus credendū censet quā toti concilio, sine scriptura loquenti. Tantum adest, ut à concilijs laici sint excludendi.

Verū cum libertatem iudicandi omnibus Ecclesie membris concessam esse docemus, non confusionem, non petulantiam indoctorum, & contentiosorū hoīm approbamus aut confirmamus. Sed statuimus ita fieri debere, ut in publica dijudicatione, legitimus, & certus ordo seruetur, ut illi qui docti, p̄i, & idonei sunt, ad sententias

dicendas admittantur. Deinde ut ab illis, qui in di-  
iudicatione controuersiarum ad dicendas senten-  
tias adhibentur, hæc diligenter obseruentur.

Primo, ne ex priuatis, & singularibus opinio-  
nibus, quas sibi quisque domi suæ finxit, neque ex  
traditionibus humanis, aut moribus consuetis pro-  
nunciatur. Secundo ut ex uerbo Dei rectè intel-  
lecto, & fideliter adducto omni controuersie fi-  
nis imponatur.

Verus autem uerbi intellectus, & sensus is es-  
se iudicatur, qui fidei analogiam sequitur, Ro. 12.  
Qui cum articulis symbolorum Apostolico, Nice-  
no, Athanasiano &c. conuenit. Item ille qui ex is-  
psa orationis proprietate, & contextu sumitur.  
Item qui ex collatione, & explicatione locorum  
obscuriorum, per loca clara, & perspicua, &  
reliquum scripture consensum adduci-  
tur. Deniq; qui consensu, & testi-  
monijs totius Ecclesie iuxta  
uerbum iudicantis ap-  
probatur.

## Responsio ad QUARTAM AC- cusationem.

**Q**uarto loco Ostius communionem sub utraque specie improbat, & propter illam Albingenses ac omnes Lutheranos, tum schismatis tum hæreseos condemnat. Sophismata quibus utitur, ut probet unam tantum speciem sumendam esse laicis, postea apponemus atque confutabimus. Nunc hoc ostēdemus, omnibus integrum cœnæ usum concessum, & mandatum esse.

Primam autem huius rei probationem ex ipsa Christi institutione sumimus. Nam ille cœnam suam ita instituit, ut & corpus & sanguinem suum omnes sumere iusserit. Et est observatione dignum, quod in calicis & sanguinis sui exhibitione Dominus, ex spiritu illo prophetico, quo depravationes sequuturas aspexit, disertè dicit, Bibite ex hoc OMNES, quod ad corporis participationem antea non ita expressè adiecerat. Vnde & Marcus ex eadem causa subiicit: Et biberunt ex hoc OMNES. Quasi diceret: Factum est quod mandavit Dominus: ille uoluit ut omnes de corpore et sanguine suo participarent. hoc illi fecerunt, & non solum corpus Domini sumpserunt omnes, sed omnes etiã ex calice sanguinem eius biberunt.

Est autem figmentum absurdissimum, & cavillatio plus quàm inepta, quod Papistæ posterius hoc ut ex calice biberent Omnes, eò detorquent,

ut dictum illud esse tantū ad apostolos (qui sacer-  
dotes, & reliquos Ecclesie ministros, apostolorū  
successores, ut ipsi uolunt, designant) affirmant, et  
ex eo tandem inferunt, non ad alios quā ad sa-  
cerdotes solos, calicis usum propriè pertinere.

Si Christus ipse dicit: Hic est sanguis noui testa-  
mēti, qui effunditur pro multis: & tota scriptura  
cōmuni suffragio testatur Christum effudisse san-  
guinē suum in remissionem peccatorū, nō Apосто-  
lorum solū, sed oīum fidelīū, quomodo quæso laici  
fideles, ad quos beneficia & fructus, p̄ Christi san-  
guinē impetrati pertinent, à calicis cōmuniōe re-  
mouebūtur? An promissiōum tantū utcūq; erūt ca-  
paces, et ab applicatiōe p̄ fidem, quā Dominus ad  
sanguinis sui participationem alligauit, erunt ali-  
eni? Statuamus potius Christū integrū cœnæ u-  
sum oīb. mādasse, quā ut eiusmodi papisticis ine-  
ptijs concessis multo absurdiora largiri cogamur.

Nam si ita argumētābimur cum papistis. Chri-  
stus nullis laicis, sed solis apostolis, tanq̄ sacerdo-  
tibus calicis usum cōcessit. Ergo & nūc ad nullos  
laicos calix Doīni p̄tinet. Quid obstabit quo mi-  
nus & sic argumētemur? Christus nullis laicis, sed  
tantū apostolis, tū presentibus, et tanquā sacerdo-  
tib. corpus suum dedit. Ergo ne nūc quidē ullis lai-  
cis corpus Doīni est dandū. An nō stultissima hac  
argumētatione oēs laicos tota Doīni cœna prius



binus? Credamus ergo Christum integrū cœnæ u-  
sum apostolis suis exhibuisse, & mādasse, nō tātū  
ut apostolis, & sacerdotib. sed ut discipulis, et fide-  
libus mēbris Ecclesiæ suæ, q̄ illi totius Ecclesiæ per-  
sonā sustinuerint, atq; ita p̄ illos integer huius sa-  
cramēti usus, ad totā Ecclesiā et singula eius mem-  
bra transferatur.

Secundam probatiōem sumimus ab exēplo Ec-  
clesiæ Corinthiorū, quos fuisse laicos etiam ipse  
Osius testabitur, nisi sit prorsus cæcus, & impi-  
us, qualis nequaquam uult uideri, & uehementer  
indignatur, se inscitie, & malitiæ insimulari, qui-  
bus, inq̄, Corinthijs Apostolus integrum cœnæ u-  
sum præscribit, & addit, se à Domino accepisse,  
ut hoc modo cœnam ipsis integram traderet. Vbi  
& hoc notabile est, quòd Apostolus in eo textu  
semper cōnectit panē & poculū Domini, nec unq̄  
ferè separatim de altero sine altero loquitur. Vo-  
lens nimirū hac copulatione docere, nefas esse ea  
separe, quæ Dominus ipse cōnexa esse uoluit. Sic  
n. uerba apostoli in eo loco habēt. Quotiescūq; n.  
māducabitis panem hunc, & calicē bibetis, mortē  
Domini annūciabitis, donec ueniat. Itaq; qui man-  
ducauerit panē hunc, & biberit calicē Domini in-  
dignè &c. Probet autē seipsum homo, & sic de pa-  
ne illo edat & de calice bibat. Qui enim māducat  
& bibit indignè, iudicium sibi manducat, &c.

Certissimum igitur nobis sit, neq; Paulum, neq; ullum alium apostolum, Domini sui institutionem mutasse. Sed sicut ille omnibus fidelibus & discipulis suis integrum suæ cœnæ usum instituit, ita ipsi eundem Ecclesijs, ubi docuerunt, tradiderunt, & commendauerunt. Et (quod supra quoque monuimus) manifestum est, in Ecclesia multis seculis extitisse integrum cœnæ usum, nec certò constare, quis primus, non ita ante multos annos, tam sacrilege mutationis autor fuerit. Nec Osio credimus, qui octingentos annos nominat, quibus calicis usus sit intermissus. Historiæ enim diuersim do-cent. Quinquam non negamus Satbanam longo tempore in eo laborasse, ut constitutionem Domini immutaret. Sed ante concilium Constantiense, habuit semper aliquos qui restiterunt, & apud quos integer cœnæ usus permansit, sicut & postea factum est.

Tertiam probationem subministrant Patrum dicta & ipsius Papæ decreta. Patres enim plerumque de integro cœnæ usu loquuntur, quoties cœnæ Domini mentionem faciunt. Et diuus Ambrosius acriter reprehendit hanc audaciam, quòd altera, eaq; potissimè pars, à Domini cœna sit detruncata. Sic Gelasius Papi eos sacrilegos appellat, qui alteram speciem porrigunt, alteram uerò subtrahunt.

His probationibus nostris Osius talia quædam sophismata opponit.

I.

Quod Ecclesia instituit, firmiter tenendū est.  
Ecclesia Romana instituit pro laicis communio-  
nionem sub una tantum specie.

Ergo hæc Ecclesie constitutio firmiter tenenda est.

II.

Constitutiones conciliorum non sunt mutandæ, quia concilia non possunt errare.

Constantiense & Basiliense concilium statuerunt, & confirmauerunt comunionem sub una specie pro laicis. Ergo hæc constitutio non est mutanda, & comunio sub una specie recta est.

Responsio.

Etsi primum sophisma ideo reijcere possemus, quod illud ad regulas Dialecticas non conveniat, et quatuor pedibus currat: tamen ad utrumque coniunctim respondemus: Neque ecclesiam Christi veram, neque concilia legitima, & Domini spiritu congregata unquam sibi tantam licentiam sumpsisse, uel arrogasse saltim, ut sibi Domini sui instituta mutare aut abolere licere dicerent. Sed sicut uera ecclesia subiecta est Christo capiti et spouso suo, ac uocem eius audit, mandata ipsius custodit, atque sacramenta ab ipso accepta, eo quo accepit modo, obseruat: ita uera et sancta eius concilia nihil unquam contra, uel tantum extra exa-

pressum Dei uerbum constituerunt.

Sed Romana Ecclesia, sicut eo ipso, q̄ ab obedientia Christi, & uerbi analogia recessit, clarè demonstrat, se non Christi, sed Antichristi sp̄sam esse, itaq̄ cōcilia illa, siue Basiliense, siue Constantiense, siue alia quæcunq̄, quæ per Romanæ Ecclesiæ pontifices cōgregata fuerunt, omnia ad nutum sui pontificis constituerunt, & multis in locis cōtra manifestā scripturā imp̄ssima quæq̄ constituerūt. Vt ita manifestū sit, ea nō spiritū ueritatis, sed erroris, & mendaciū gubernatorē habuisse. Vnde quod in illis de una specie laicis porrigēda decretū est, non magis ad uerā Ecclesiam, atq̄ ad pia eius membra pertinet, q̄ ea quæ gētes olim de cultibus idolatricis suis hominibus imposuerunt.

### III.

De quo nō extat expressum & apertū Christi mandatū, de eo nō est inducēda talis necessitas, ut sine salutis dispēdio mutari, aut omitti non possit.

Vt laici sumant utranq̄ specie, de eo nō extat expressum Christi mandatū. Nam q̄ Christus dicit: *Bibite ex hoc OMnes*, ptinet tantū ad apostolos, & sacerdotes, apostolorum successores. Sicq̄ hæc uerba intelligēda et exponēda Ecclesia Ro. censet.

Ergo de hoc non est talis necessitas inducēda, ut non potuerit calicis usus laicis adimi.

Responsio.

Minor huius sophismatis prius est refutata, ubi ostēdimus integrū cœnæ usum oībus esse mādatū.

Vide autem impudentiā uanissimi sycophantæ. *Mattheus, Marcus, Lucas, & Paulus* uno ore, & clarissimis uerbis recitāt manifestū mandatū Christi. Eos omnes meretricia fronte eludit, ac negat expressum mandatum Christi adferre, atq; ita in sereno cælo, clarissimum solem, luce meridiana querit. Quòd si ipsos *Euangelistas, & Apostolos* testes ueraces filij Dei, audet arguere mendaciū unà cum sua impia Romana Ecclesia, nihil mirum est, illos, miseros homunciones ludificari.

Valde indignatur *Ostus* (quod aliquoties iam monui) sibi tribui cæcitatem, & impietatem: atque utinam cæcus & inscius esset: fortassis pueri in scholis possent corrigere eius asininam crassiciem, & egregiū oratorem, qui cupit audiri *Ciceronianus*, docere, has uoces, *Edite, Bibite omnes*, imperandi modo efferri, tanquam manifestum præceptum. Verum hoc loco utriusq; criminis inscitia, & malicia ipse sese conuincit. Atque hinc conspici potest, quo candore, quo studio ueritatis totum negotium agat, uidelicet, sophisticè, maliciosè, & cōtra conscientiam. Cum enim expressissimos locos scripturæ ita scurriliter eludere audeat, satis existimari potest, eum tantundem candoris afferre etiam ad totum negotium. Fugite

igitur hunc sycophantam omnes pijs, & crimine  
ab uno discite noscere totum uirum

## IIII.

Christi ordinatio est seruanda.

Christus ordinauit ut tantum Apostoli utraq;  
specie in cæna utatur. Item, reliquit Ecclesie suæ  
potestatem, ut ea pro necessitate & utilitate hoim  
de cõmunionem aliter ordinãda rationẽ iniret. & c.

Cum ea igitur communionem sub una specie  
ex necessarijs causis ordinauerit, ualet hoc ex mã  
dato & permissione Christi iam cõmemorata.

## Responsio.

Prius membrum minoris, est mendacium, sicut  
liquet ex superioribus, Posterius autem eius mem  
brum iubemus Oslum cum suis probare: quo facto  
respondebimus plura: & ita deinceps Osiãnas il  
las artes depingemus, iuuante Deo, ut omnes qua  
lis ille sit, & quo authore scribat discere, & ab eo  
sibi cauere possint. Reliqua uero Osiã sophisma  
ta indigna sunt que recitentur, & in alijs nostro  
rum scriptis, adeo saepe refutata sunt, ut neminem  
irretire possint: & mirum est, non puduisse homi  
nem talia & prorsus anilia somnia pueris quoq;  
ridicula reducere.

Tantum sanè Christiane, & pie Lector calum  
nijs Osiãnis, & scripto huic de Elbingensi actiõne  
emisso

emisso prorsus uirulento, quanta potuimus, & res ipsa nobis concessit, modestia opponere uoluimus. Ad conuicia autem illa atrocissima, quibus nos, atq; piissimos nostros in Domino preceptores proscindit, & in ueram Christi doctrinam blasphemus est, non libuit multa dicere. Ipsa ueritas, cuius patrocinio nitimur, respondet Osio, & calumniatoribus nostris omnibus, ac ea, quae illi furore, & odio Sathanico perciti, in nos effundunt, in eosdem reijcit. Nec plus nos nostrorum aduersariorum conuicia mouent, quam olim Hiskiam sui Rabsacae calumiae perturbabant. Cum enim eorum uanitas manifesta sit, per se illa cõcident, nec pijs, & ueritatem amantibus, quicquid negocij facessent.

Si tamen alicui libet scommata scurrilia, mendacia horrèda, blasphemias infinitas cognoscere, eum ad hoc Osij, & alia aduersariorum nostrorum scripta remittimus, inueniet in eis quod quæret. Nobis satis est, ueritatem proposuisse, ut ea, qui simplices, et salutis suae studiosi, ac cupidi sunt, confirmati, pergant Christi doctrinam amare & sequi, & cæterum illum Antichristianum, cum suis deprauatoribus & idolatris, odisse, & fugere.

**A** Duos tandem Elbingenses, fratres in Domino carissimi, peruenio, de quibus scriptum hoc, ad quod respondimus hætenus,

K

emisit Osius. Vt autem dolemus uos hominis, non solum seuisissimi, uerum etiam uersutissimi, & uobis omni genere blanditiarum insidiantis, artibus petita maxime gaudemus, & uobis gratulamur quoque, quod prudentiam, & constantiam hominibus Christianis dignam prestiteritis. Sed considerate queso consilium, & benignitatem Domini, quibus ille hanc uestram pietatem compensat. Spargit Osius de constantia uestrarumorem, & suam calliditatem, & artes, quibus uos aggressus est, diligentissime describit. Romam atque ad exteras nationes historiam hanc emittit: hoc unice querens, ut sibi laudem, uobis uero summum dedecus excitet. Hoc ita inuertit Dominus, ut quod Osius quaesuit, non assequatur, quod autem uobis inuidet, ad hoc per ipsius praedicationem uos maxime perueniatis. Nam cum testificatur, se in eo maxime sedulum fuisse, ut uos a Lutheri, imo uero ab ipsius Christi, per Lutherum proposita uera doctrina auelleret, & ad Romanam suam Ecclesiam traduceret, intelligunt ex eo omnes homines, ipsum esse Romani Antichristi iuratum, & penitus addictum mancipium, uerae Ecclesiae infestissimum hostem, ouicularum Christi non pastorem, sed perturbatorem, & insidiatorem. Dum autem uos constanter & pie eidem reluctatos esse monstrat, cognoscit totus orbis, uos ueritatis amantes esse, non ab



dientes uocem alienorum, & sustinentes omnis generis minas, et iniurias propter Christi nomen, quæ uobis ab aduersario ipsius intentantur. Quid autem tali gloria excellentius? Sic nouit Dominus etiam ex hostibus sibi & suis laudem conficere. Sic ueræ sunt sanctissimæ eius promissiones, cum inquit, Beati eritis cum uos oderint homines, & cum separauerint uos, & exprobauerint, & eiecerint nomen uestrum, tanquam malum, propter filium hominis. Gaudete in illa die & exultate. Ecce enim merces uestra multa est in cælo. Secundum hæc enim faciebant prophetis patres eorum. Pergite ergo in hac ueræ & agnitæ doctrinæ confessione. Pergite alios uestro exemplo excitare, & confirmare, Scientes quod hoc etiam à uobis Dominus serio requirit. Ille, qui me, inquit, confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum, coram patre meo qui in cælis est. Pergite etiam iuxta ipsius mandatum à falsis prophetis attendere. Et de Osio uestro hoc uobis persuasissimum habete, Ut ille non per ostium ingreditur, sed aliunde in Domini ouile transcendere conatur: ita omnia quæ agit, ex insidijs, & contra suam ipsius conscientiam agit, non animas uestras, & salutem earundem (quod crebro gloriatur) sed opes quærens. Hoc enim dubium esse non potest, ipsum hanc do-

doctrinam quam profitemur nos, satis intelligere,  
 esse uerum & catholicum consensum Ecclesie Dei  
 uere, esse uocem Christi, quam ille p̄ prophetas, A-  
 postolos, Martyres, & pios doctores suos, inde ab  
 initio usq; ad hæc tempora sparsit, et Ecclesie sua  
 commendauit. Sed cum huius doctrine professio  
 semper crucem, Papæ autem, sicut & synagoge o-  
 lim pharisaicæ societas, honores, & opes cumulet,  
 mauult Osius opulentum potius Papatum ample-  
 cti, quàm ærumnosum ac pauperem Christum se-  
 qui. Huius aut rei hæc uobis argumēto sint. Quod  
 ille impiissimas quasque sui papatus traditiones,  
 nō diuinis, sed humanis tantum testimonijs inniti  
 scit. Imò uero, quod intelligit, eas cum manifestissi-  
 ma scriptura ita pugnare, ut etiam ab ipsis Domi-  
 ni Apostolis demoniorum doctrine uocitentur.  
 Quod item omnes eò persuadere conatur, ut plu-  
 ris hominū, quàm Dei autoritatem faciant, ut plus  
 Patrum testimonijs & decretis, quàm Christi mā-  
 datis auscultent, tribuant, & obediant. Cum cui-  
 us puero, septenni saltem, iustissimum esse uide-  
 atur, ut pluris fiat Dei, quàm hominū uox. Quod  
 deniq; non potest negare, & inuitus fateri cogi-  
 tur, nostrā doctrinam, & ea quæ nos de ueris cul-  
 tibus diuinis profitemur & tenemus, in ipso scri-  
 turarum manifesto, certo, & unanimi consensu, et  
 testimonijs prorsus infallibilibus fundamētum hæ-

tere. Hæc inquam cum intelligat Osius, & ita sese  
oïa habere manifestissimū sit: quis dubitabit eum  
cum multis alijs sui ordinis epicureis, speciem ta-  
men sanctitatis simulatibus, nō uelle uidere, quod  
uident, non uelle fateri, quod sentiunt, & esse si-  
miles, de quibus psalmista loquitur: Aures habēt,  
& non audiunt, oculos habent, & non uident: ne-  
que clamabunt in gutture suo: uel potius eos esse,  
de quibus Christus dixit, ut uidentes uideant, &  
non uideant: & audientes audiant, & non intelli-  
gant, ne quando conuertantur, & dimittantur eis  
peccata &c. modo ut huius mundi delirijs, hono-  
re, & opibus potiantur.

Frigidissimum est etiam hoc, & falsissimum  
Osijs sophisma, quo & in hoc, & in alijs suis scrip-  
tis, quæ extant usus est. Quod dicit citantibus so-  
lam scripturam, non esse credendum: nisi eam ad  
patrum, & Ecclesiæ Rom. intellectum exponant.  
Quoniã hoc hereticorū proprium sit iactare, sua  
scripturis consentanea esse. Ex quo deinceps in-  
fert, cum & nos scripturis pugnemus, & nostra  
defendamus, eodem nos cū hereticis loco esse ha-  
bendos. Facilis est autem ad ista responsio.

Fatemur & nos detorquentibus scripturam  
cōtra communem & catholicum eius consensum,  
& Ecclesiæ ueræ intellectum, nequaquam creden-




dum esse. Extant autem multa exempla, quomodo olim, & nunc quoque multi fanatici scriptura abusi sint. Hi ab Ecclesia tuente uerum scripturarum consensum merito damnati sunt, et nunc etiam pro damnatis iure habentur. Quomodo autem nos scripturae testimonijs utamur, res ipsa loquitur, ac ostendimus hoc aliqua ex parte, in toto hoc nostro scripto. Atque mentiuntur Osius ac sui omnes, quoties nos aliquos ex recte damnatis hereticorum doctrinis errores reducere, & renouare, affirmare audent.

Debere autem scripturam ad patrum & Ecclesie Romanae intellectum exponi falsissimum est. Primo, quod ipsa equitas exigit, ut a maiestatis diuinae autoritate, suam etiam hominum scripta auctoritatem accipiant, non autem e contra. Deinde quod S. Augustinus de omnibus patribus, de seipso quoque, & scriptis suis, hanc regulam tradidit, ut illa tunc accipiantur & pro catholicis habeantur, quando cum scriptura canonica consentiunt. Quae regula & ipse se sequutum esse docet, in legendis & cognoscendis aliorum scriptis, ut illa habuerit probatis & ueris scriptis, quae cum sacris scripturis consenserint, aut alioqui probabili ratione sibi fidem fecerint, quod a uero non abhorreant. Verba autem Augustini in epistola 29. ad D. Hieronymum, sic habent. Ego fateor caritati tuae, solis eis scripturarum libris, qui iam canonici appellantur

tur, didici hunc timorem, honoremq; deferre, ut nullum eorum autorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam. At si aliquid in eis offendero literis, quod uidetur contrarium ueritati, nihil aliud, quam uel mendosum codicem, uel interpretem non assequutum esse, quod dictum est, uel meminime intelligere, non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaq; præpolleant, non ideo uerum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi uel per illos autores canonicos, uel probabili ratione, quod à uero nõ abhorreat, persuadere potuerunt. Nec te mi frater, sentire aliquid aliud existimo, prorsus inquam, non te arbitrator sic legi tuos libros uelle, tanquã prophetarum & apostolorum, de quorum scriptis, q; omni errore careant, dubitare nefarium est. Hactenus August.


Quam autem nobis patrum quoq; testimonia, in confirmatione nostræ ueræ doctrinæ nõ desint, ex nostrorum scriptis patet, qui in singulis articulis eorum autoritate utuntur, sed ad eam Augustini regulam, quã modo recitauimus, quoties nimirum illi cū sacris prophetarum & apostolorum dictis cõueniunt. Ecclesiæ uero Romanæ intellectum, si prædemonstrauimus esse ipsius Antichristi mentem, et fugiendum potius, q; ad eum in scripturarum interpretatione respiciendum. Veræ porro Ecclesiæ ex uerbo Dei iudicantis, & inter se dicta prophetarum & a-

postolorū rectè cōferentis cōsensum, & intellectū  
 magni facimus, & ab eo, iuuāte Deo discedemus nū  
 quā. Si ad eū nos alligaret Osius, nihil esset in quo  
 ab ipso disideremus. Si etiā ipsius sese ad eum intel  
 lectū astringeret, nō esset à nobis alienus, & lon  
 gè aliter de oībus loqueretur et scriberet. Nec uos  
 quos sibi cōmissas ouiculas gloriari audet, tanta a  
 cerbitate premeret, & tot insidijs adoriretur, in  
 hoc oīm maxime desudans, ut uos à uera doctri  
 na cōfessione, atq; à legitimo sacramentorū usu ab  
 ducere possit. Sed uos, fratres in Doīno fortes e  
 stote, insidiosis Osij blanditijs non auscultate, & si  
 quid sub Regiæ Maiest. pretextu uolentū intēta  
 re conabitur, nō timete. Cor Regis in manu Doīni  
 est, et quæ nunc in regno Poloniæ facta sunt inicia,  
 nihil uolentū, nihil impium præ se ferūt. Interea  
 animas uestras in patientia custodite, & studium  
 atq; admonitionē hanc nostram boni cōsulite, ani  
 moq; pio suscipite. Nobiscum etiam Patrem Doīni  
 nostri Iesu Christi orate, ut ille Ecclesie suæ per  
 sequutoribus, & uera suæ doctrinae hostibus, fre  
 num iniiciat. Regum animos ad ueritatis agnitio  
 nem, & propagationem pducat, & perpetuam si  
 bi inter nos Ecclesiam uerbo suo colligat. In qua  
 & hic, & in omni æternitate, cum filio suo Iesu  
 Christo, & Spiritu sancto celebretur, Deus ue  
 rus & unus, laudandus in secula. Amen.




















B.I.G.



Farbkarte #13

*Mehldamm*

RESPONSIO  
 ad calumnias Ofij,  
 IN QVIBVS TVM ELBIN  
 GENSES, TVM OMNES ALIOS, QVI  
*Augustane Confessionis doctrinam amplectuntur,  
 non solum schismatis, sed defectionis  
 quoq; ab Ecclesia, & here=  
 seos accusat:*

IN QVA VERADO,  
*ctrina de Ecclesia, eius notis, & po=  
 testate fideliter recitata est,*

PER

M. HIERONYMVM  
*Mencelium Suidnicensem, Pasto=  
 rem apud S. Nicola. Islebij.*

1558.

*f. 2.*

Archiv der Stadt Magdeburg

